



2448

D E  
**EPISCOPIIS CARDINALIBUS**  
 SUBURBICARIIS  
**QUÆSTIONES SELECTÆ**  
**Propositæ ad Usum Congregationis**  
**Casuum**

IN DOMO PROF. ROM. SOC. JESU,

A U C T O R E

ANDREA HIERONYMO ANDREUCCI


EJUSDEM SOC. JESU.



ROMÆ MDCLII.

Ex Typographia S. Michaelis, Per Octavium Puccinelli,

SUPERIORVM PERMISSV.



*Eminentissimo Principi  
FRANCISCO  
CARDINALI BURGHESIO  
ALBANENSI EPISCOPO.*

ANDREAS HIERONYMUS ANDREUCCI SOC. JESU.

F.



*Pportunè admodum fa-  
ctum est , ut Albanensi  
Ecclesiæ , CARDINALIS AMPLIS-  
SIME , præficereris eo fermè tempore ,  
a 2 quo*

quo ipse Opellam hanc de Episcopis Car-  
dinalibus Suburbicariis , penitus absolu-  
veram, eamdemque Impressori typis eden-  
dam commiseram . Statim quippe in-  
tellexi Patronum mibi obvenisse , in quo  
consisterem , & qui mibi magno tum  
ornamento , tum præsidio esse posset .  
Quare Tibi præ cæteris selectas has quæ-  
stiones dicare constitui . Et quidem Be-  
nè , compositèque : Quantum enim iis  
ornamentum accedet , si FRANCISCI  
Cardinalis Burghesii nomen illæ præ-  
ferant ? Profectò quicquid ex avitæ  
Stirpis nobilitate , in hexausto Heroum  
partu clarissima , quicquid ex Majorum  
Dignitate non modo sublimi , verùm  
etiam sub felicissimo PAULI V. Pontifi-  
catu suprema , quicquid ex tot tantisque  
ad Pietatem , ac Religionem ab Excel-  
lentissima Familia collocatis in Urbe mo-

numenit derivatur Insigne , id omne in  
eos dimanat , quibus Burghesii nomen  
adfuerit , & Clientela . Ad Præsidium  
verò , quod attinet , ubi erit illud fir-  
mius , quam in Principe Viro , qui do-  
mi , forisque in honore habitus , & Car-  
dinalatu conspicuus ab omni Fastu vehe-  
menter abhorret , & privatos quoisque  
ita accipit benignè , ut nemo illo com-  
modior , nemo comior , nemo videatur  
ad omnem rationem humanitatis ma-  
gis compositus , qui adeuntibus facilis  
lætatur tunc maximè , cum æquitas per-  
miserit , ut supplicantibus annuat , qui  
benignitate adductus id præcipue spe-  
dat , ut bene de universis , cuiuslibet ii  
sint ordinis , nulla Personarum acce-  
ptione , mereatur ? Enim verò quisquis  
hæc attentè perpenderit , is consilium à  
me initum , valdè probaverit . Quam-  
quam

quam , ut rem ingenuè fatear , Ornamentum , ac Præsidium , quæ mihi ex ejusmodi dedicatione oriuntur , plurimi quidem à me fiunt , non ea tamen dumtaxat sunt in causa , quamobrem animum ad id adjecerim . Impulit me potissimum Amor tuus ille , Cardinalis amplissime , quo Societatem nostram complecteris . Cujus rei argumentum satis grave illud est , quod lectissimos Juvenes ex Fratre Nepotes tuos sub nostrorum Patrum institutione maximam in spem adolescere volueris , & Albanensem Ecclesiam ubi primum fueras asequtus , cum de tui Cleri deligendis Examinatoribus deliberares , Hominem de Societate illis accenseri , omnino mandaveris . Hæc sanè optimo jure exigebant , ut quantum nos Tibi omnes deberemus hac publica obsequentiissimi animi significatione

*tione testarer. Unum illud supereſt , ut  
gratum tibi , acceptumque habeas ejus-  
modi litterarium munusculum . Id si im-  
petravero ( ut Ven. Card. Bellarmini  
ad Cardinalem Sfortiam verbis utar )  
non me arbitrabor Tibi munusculum  
obtulisse , sed abs Te munus amplissi-  
mum accepisse . Vale*

**AD**

## AD LECTOREM :



UM s̄aþe numero Occasio se mihi obtulerit moralibus iis Quæstionibus respondendi , quæ ad Episcopos Cardinales Suburbicarios pertinent , ac re ipsa intellexerim plurimum Operæ , Laborisque id habere , cum , scilicet , Auctores plerumque desint qui eas tractent , aut ad summum longissimè illas inter se disjunctas proponant ; publicæ utilitati a me prospectum iri existimavi , si quæ olim dederam responsa , quaque ipse Quæstiones enodaveram in unum colligerem , easque ex ordine dispositas typis consignarem . Ut id consilii exequerer , vehementer me impulit Majorum Exemplum , ii quippe cum dies , noctesque litterario in opere fuerint , non sibi dumtaxat laborarunt , sed suscepitos à se , atque exantlatos labores in commune commodum contulere : Id sane incitamento fuit , ut eorum vestigiis insisterem , nam ut optimè olim ajebat Seneca ep. 39. = *Si videris quam multi tibi laboraverint , concupisces & ipse ex illis unus esse =* : Præterea animum ad id non parum sollicitavit Cupido quædam , ut cæptum à me , nec absolutum , aut certè non

per-

perpolitum Opus , alii sive addentes , sive  
emendantes ad culmen perducerent ; Est enim  
illud studioium fructus non exiguus , id ef-  
ficere , ut inde alter possit iter arripere , ubi  
ipse constiteris . Habes proinde , Lector , cur  
morales hasce Quæstiones publici juris fece-  
rim . Supereft , ut quidquid id est æqui bo-  
nique Ipse facias , cœteris verò ut perinde  
gratuni acceptumque sit , idem ipse præstabis ,  
si alios docueris austерum quidem hoc esse  
Opus & pressum , sed tanto majorem apud  
Sapientes habere Gratiam debere , quanto mi-  
norem , minusque effusam habet eruditionem ,  
qua cœteroquin Ætas nostra mirè capitur ,  
plura tamen utilia , & ad usum studiosorum  
necessaria complectitur . Vale .



# IGNATIUS VICECOMES

*Præpositus Generalis Societatis JESU.*

CUM librum cui titulus = *De Episcopis Cardinalibus Suburbaniis Questiones Selectæ &c.* ab Andrea Hieronymo Andreucci nostræ Societatis Sacerdote compositum aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet, ita yidebitur. Cujus rei gratia has literas manu nostra subscriptas & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 27. Augusti 1752.

Ignatius Vicecomes.

IM.

*IMPRIMATUR.*

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

*F. M. de Rubeis Patriarch. Constantinop. Vicefg.*

---

JUSSUS a Reverendissimo Patre S. Palatii Apostolici Magistro pervolvi *Quæstiones Selectas de Episcopis Cardinalibus Suburbicariis*, eruditè ac doctè propositas, & discussas a Doctissimo Viro Andrea Hieronymo Andreucci Societatis Jesu Presbytero, & cum in iis nihil offenderim à regulis alienum, sed sanam, solidam, utilemque doctrinam, dignas censeo, quæ in lucem mittantur.

Ex Ædibus Aracœlitaniis sexto Kal. Octobris 1752.

*Fr. Philippus de Carboniano Ord. Min. Reg. Observ.  
Lebt. Jub., & in Aracœlitano Cœnobio Stud. Praef.*

---

*IMPRIMATUR.*

Fr. Vincentius Elena Reverendissimi Patris Magistri Sacri Palatii Apostolici Socius.

# I N D E X

## CAPITUM, ET QUÆSTIONUM.

<b>E</b>	<i>Pistola ad Lectorem.</i>	Pag. viii.
	<i>Paritio Operis.</i>	Pag. i.

### C A P U T I .

De Ortu, & Initio Episcoporum Cardinalium  
Suburbicariorum. Pag. 2.

- Q.* 1. *Quinam sint, & quot Episcopi Cardinales Suburbicarii?*
- Q.* 2. *An alii fuerint ex aliis Episcopatibus Episcopi Cardinales?*
- Q.* 3. *Unde factum sit, ut sex vel septem Episcopi Urbis initimi appellantur, & sint S. R. E. Cardinales?*
- Q.* 4. *Quandonam tales Episcopi cœperint vocari Cardinales?*
- Q.* 5. *Ad quæ Ministeria olim adhiberentur a Romano Pontifice?*
- Q.* 6. *Quibus olim titulis ab aliis Episcopis distinguerentur?*
- Q.* 7. *An semper aliis Episcopis prævierint?*
- Q.* 8. *An aliquis sive Præcedentia Ordo inter ipsos Episcopos Cardinales Suburbicarios?*
- Q.* 9. *An singuli ex sex Episcopatibus Cardinalitiis habeant peculiarem aliquam Prærogativam?*
- Q.* 10. *Cur Episcopus Sabinius. appelletur à Provincia, & non ab aliqua Civitate?*

### C A P U T I I .

De Electione, & Optione ad tales Episcopatus. Pag. 10.

- Q.* 1. *An Episcopatus Cardinalitii acquirantur per liberam Col-*

*Collationem, nulla prævia electione, nominatione, vel  
optione?*

- Q. 2. *An modus acquirendi tales Episcopatus per Optionem  
conveniens sit?*
- Q. 3. *An Diaconus Cardinalis antiquior possit tales Episco-  
patus optare?*
- Q. 4. *An Presbyteri Cardinales absentes à Curia possint optare?*
- Q. 5. *An possint optare Presbyteri Cardinales absentes ob  
actualem Residentiam in suo Episcopatu?*
- Q. 6. *An Presbyteri Cardinales obtinentes aliquem Episcopa-  
tum, & præsentes in Curia possint Suburbicarium Epi-  
scopatum Optare cum retentione prioris Episcopatus?*
- Q. 7. *An Episcopi Cardinales possint relicta quam obtinent Su-  
burbicaria Ecclesia aliam vacantem optare, & quatenus?*
- Q. 8. *An quoad Optionem præferendus sit Cardinali antiquiori  
in Cardinalatu, antiquior in Episcopatu Suburbicario?*
- Q. 9. *An licet & sine scrupulo possit Episcopus Card. Suburbi-  
carius dimi tere Ecclesiam quam obtinet, & aliam pro  
libito, optare, vel pro majoribus redditibus?*
- Q. 10. *An Card. Episcopus Suburbicarius possit suo Epicopatu  
renunciare & quatenus affirmativè, An intellige-  
tur hoc ipso renunciare Cardinalatu?*
- Q. 11. *An optans alium Episcopatum vacantem dimisso priori,  
teneatur ad restitutionem anticipata ex adororum ex red-  
ditibus prioris Episcopatus?*
- Q. 12. *An validè fieret Optio à Cardinali occultè excommuni-  
cato, vel excommunicato tolerato?*

### C A P U T I I I.

De Officio, & Potestate Episcoporum Card.

Suburbicariorum.

Pag. 30.

- Q. 1. *Quodnam sit Officium proprium, & peculiare talium  
Episcoporum?*

Q. 2.

- Q. 2. Quodnam sit eorumdem Episcoporum, prout tales sunt, Officium, & speciale Munus in Romana Curia?
- Q. 3. Utrum tales Episcopi habeant in suis respectivè Episcopatibus Potestatem civilem, & temporalem?
- Q. 4. Utrum habeant integrum Potestatem Ordinis, & Jurisdictionis, ordinariam ac Diœcesanam?
- Q. 5. Utrum possint suam Potestatem tam Ordinis, quam Jurisdictionis exercere in ipsa Urbe Roma?
- Q. 6. Utrum Romæ existentes possint suo Vicario vel alteri Sacerdoti in Diœcesi commoranti delegare Facultatem benedicendi Paramenta Sacra?
- Q. 7. Utrum possint pro suis Subditis Dimissorias ad Ordines concedere?
- Q. 8. Utrum Episcopi Ostien., & Sabinen. comprehendantur in Lege Constitutionis Alexandrinae de non dirigendis Dimissoriis, nisi ad Vicarium Urbis?
- Q. 9. Utrum Episcopi hi Cardinales possint Dimissorias pro prima Tonsura dirigere ad quemcumque Catholicum Episcopum?
- Q. 10. An si ipsi immediate Sacram Ordinationem habeant in sua respectivè Diœcesi, possint suos Subditos ad Ordines promovere absque Indulso, & independenter à Vicario Urbis?
- Q. 11. An possint per alium Episcopum à se deputatum ordinare suos Subditos in propria Diœcesi?
- Q. 12. An possint immediate per se ipsos Ordinare suos Subditos in proprio Palatio Romæ existente?
- Q. 13. An possint legere libros prohibitos?
- Q. 14. An Romæ existentes possint sibi eligere Confessarium non approbatum ab Ordinario Romano?
- Q. 15. An satisfaciant Precepto de audiendo Missam in die festo omnes etiam extranei eam audientes in Sacello talium Cardinalium Romæ existente?
- Q. 16.

- Q. 16. An plures Missæ etiam in festis sollemnioribus possint celebrari in eorum Sacello Palatii Romæ existentis?
- Q. 17. Quænam Beneficia ii possint in suis respectivè Episcopatibus conferre?
- Q. 18. An possint ea Beneficia conferre, quando ipsi absunt à Curia Romana?
- Q. 19. An existentes in Curia possint conferre sine Concursu Ecclesiam Parochialem, quæ vacaverit in sua Diœcesi, & an possint Examen pro Concursu Roma habere?
- Q. 20. Utrum Provisus de Beneficio ab Episcopo Cardinali in mense Apostolico, teneatur novam Provisionem deinde impetrare à Sede Apostolica?
- Q. 21. An ejusmodi Episcopi Card. possint subdelegare suis Vicariis, aliisque Sacerdotibus idoneis facultatem, quam habent à Tridentino dispensandi in aliquibus irregulatibus &c. absolvendi à Censuris reservatis &c.?
- Q. 22. An possint concedere licentiam afferandi SS. Eucharistiam in Oratorio, vel Ecclesia alicujus Conservatorii Puellarum, vel Confraternitatis &c.?

#### C A P U T I V .

De Obligationibus talium Episcoporum Cardinalium. Pag. 70.

- Q. 1. Utrum Episcopi Cardinales Suburbicarii teneantur ad Personalem Residentiam in suis respectivè Episcopatus?
- Q. 2. An teneantur Visitare suas respectivè Diœceses?
- Q. 3. An teneantur Visitare Limina Apostolorum ad normam Sextinæ Constitutionis?
- Q. 4. An teneantur constituere Vicarium Generalem in sua respectivè Diœcesi?
- Q. 5. An teneantur constituere in sua Diœcesi Suffraganeum, seu Vicarium in Pontificalibus? Q. 6.

- Q. 6. An teneantur singulis annis Synodus congregare ad Praescriptum Tridentini?
- Q. 7. An teneantur suo Populo Prædicare?
- Q. 8. An teneantur aliquando Sacra menta per se ipsos ministerare?
- Q. 9. An teneantur Congregationes Sacrorum Rituum & Casuum in sua Diœcesi constituere?
- Q. 10. An debeant uti ea Initiatione = Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Episcopus &c.?

## C A P U T V.

De Præminentia talium Episcoporum. Pag. 88.

- Q. 1. Quanta sit horum Episcoporum Præminentia, & an redundet in ipsorum Ministros?
- Q. 2. An Episcopi Cardinales postulandi, vel potius eligendi sint ad Dignitates Inferiores?
- Q. 3. An Episcopi Card. speciale jus habeant circa electionem Rom. Pontificis?
- Q. 4. An ipsi cæteris Cardinalibus præcellant in Assistentia Summi Pontificis?
- Q. 5. An ad ejusmodi Episcopos spectet privativè Pontificem consecrare, & an Pontificis Consecrator is debeat esse, qui est Decanus Sacri Collegii?
- Q. 6. An specialibus Vestium Insignibus decorentur Episcopi Cardinales?
- Q. 7. An Decanatus Sacri Collegii spectet privativè ad Cætum Episcoporum Cardinalium?
- Brevis notitia Suburbicariarum Diaecesum. pag. 93.  
Sancti Episcopi ex talibus Episcopatibus. pag. 96.



# DE EPISCOPIS CARDINALIBUS SUBURBICARIIS

*QUÆSTIONES SELECTÆ.*



NTACTUM hactenus Opus aggrediar ;  
Morales etenim Quæstiones , Selectas  
illas quidem , at non universas , quæ  
ad Episcopos Cardinales Suburbicarios  
pertinent in medium proferam , eas-  
que pro viribus enodare instituam .  
Reim paucis capitibus complector . Pri-  
mo : agam de ortu , & initio talium  
Episcoporum , deinde de Electione &  
Optione ad tales Episcopatus : Tertiò : De Officio & Potestate  
talium Episcoporum . Quarto : De Obligationibus talium Epi-  
scoporum . Postremo : de Præminentia eorumdem Episco-  
porum : His annexam brevem de Suburbicariis Dioecesibus  
Notitiam . Opus , ut spero , si minus omni ex parte absolutum  
( quod mihi non ausim tribuere ) , certe nec ipsis Episcopis  
Cardinalibus , nec Romanæ Curiæ omnino inutile continget .  
Agesis porro .

A

CA-

## C A P U T I.

*De Ortu, & initio Episcoporum Cardinalium  
Suburbicariorum.*

**Q**Uæres primò quinam sint, & quot Episcopi Cardinales? R. Episcopi Cardinales sunt Episcopi aliquot Urbi finiti-  
mi, qui ex Officio assident Pontifici, & simul cum Diaconis,  
ac Presbyteris constituunt sacrum Collegium S. R. E. Cardina-  
lium, iique de præsenti sunt numero sex, nempè, Ostiensis  
Veliterno unitus, Portuensis, Tusculanus, Prænestinus, Sa-  
binen., Albanen. Olim fuerunt *septem* accèdente Episcopo Syl-  
væ Candidæ, seu S. Ruffinæ, qui per se stetit usque ad Cali-  
xitum II. circiter annum 1120., quo tempore, *inquit Plat-*  
*tus*, cum illa Civitas crebris Barbarorum incursibus disjecta,  
& incolis exhausta esset, adjuncta est ea Ecclesia Portuensi.

Quæres 2. An aliquando ex peculiaribus causis alii ex aliis  
Episcopatibus Episcopi Cardinalis nomen, & munus obtinue-  
rint? R. affirmativè, iique fuerunt Episcopus Reatinus, Ti-  
burtinus, Nepelinus, & Veliternus nunc unitus Ostensi, alii-  
que propè Urbem. Non desunt qui doceant inter Episcopos  
Cardinales adscitos etiam olim fuisse Archiepiscopum Pisaniū,  
Episcopum Papiensem, Mutinensem, Parmensem &c., verū  
ut optimè notat Card. Brancacci in suo erudito opusculo *de Optione &c.* adsciti quidem ii fuerunt ad Ministerium Pontifi-  
cis, ut hodie adsciscuntur Episcopi, qui *Afflentes* nuncupan-  
tur, nunquam tamen, ut *S.R.E. Cardinales Episcopi*, siquidem  
ii, teste Panvino apud eumdem Brancacci, semper fuere ex iis,  
qui proximioribus Urbi Episcopatibus præerant. Coeterum  
etsi peculiaribus causis ita exigentibus alii olim Episcopi præter  
septem illos, quos meminimus, inter Episcopos Cardinales fue-  
rint

rint cooptati , cessantibus tamen iisdem causis ad pristinum Cardinalium Episcoporum numerum & qualitatem redditum est : unde post Leonem X. qui ut Bernardinum Carvajalem , & Guilelmum Brisonettam Episcopos Cardinales à Julio II. depositos in pristinum restitueret , duas Episcopales Ecclesiæ ad junxit *Reatinam* videlicet , & *Tiburtinam* , perduravit usque ad nostra tempora , septem , vel sex tantum Episcoporum , quos supra retulimus , numerus , ac Dignitas Cardinalitia .

Quæres 3. Unde nam factum fuerit , ut enumerati Episcopi Romæ finiti mi , sint , & appellantur S. R. E. Cardinales ? R. supponendum esse ex Bellarmino de Clericis lib. 1. cap. 16. Nomen hoc *Cardinalis* , primò impositum fuisse *loco* , & à loco derivatum *ad Personas* . Dicebantur enim tituli Cardinales quædam in Urbe Ecclesiæ principales , ubi Baptisma conferbatur : inde autem Presbyter , qui eam Ecclesiam regebat , dicebatur Presbyter *Cardinalis* . Pari ratione Diaconiæ Cardinales , erant , loca quædam principalia in Urbe ; distincta juxta numerum regionum & qui in ea residebant *Diaconi* , dicebantur *Cardinales Diaconi* , ab Ecclesia videlicet , *Cardinali* , quam tenebant . Sic etiam postmodum dicti sunt Episcopatus Cardinales , & inde *Episcopi Cardinales* sex , vel septem illi , qui ad eligendum Pontificem una cum Clero Romano conveniebant , & eidem Pontifici à consiliis erant præter coeteros Orbis Christiani Episcopos . Haec tenus ferme Bellarminus = Ex quo primum est colligere eam ob causam , & hac data occasione præfatos sex vel septem Episcopos cœpisse appellari , & esse S. R. E. Cardinales , quia Episcopatus illi , quibus ipsi præerant dicti sunt *Episcopatus Cardinales* , nimirum , quia ex illis Episcopatibus frequentius ac præcipue Romanus Pontifex ascisceret sibi Episcopos ad Consilia , atque ad Ministerium sacrum Functionum , & ex illis præcipue Episcopatibus accurrent Episcopi ad electionem Rom. Pontificis .

4      *De Episcop. Cardinal. Suburbicariis*

Quæres 4. Quandonam , seu à quo tempore Episcopi sex vel septem Romæ finitiimi cœperint vocari *Cardinales* ? R. certum esse multo post quam Diaconis & Presbyteris tale illis nomen inditum ; nam multo antea instituti erant Romæ Tituli & Diaconiæ quæ dicebantur *Cardinales* , atque inde Presbyteri & Diaconi Cardinales, non enim statim seu primis Ecclesiæ sacerulis consuevere Pontifices ad ministeria sacrarum functionum , & ad Consilia hos præcipue Episcopos ad se vocare , ac proinde non statim , nec ab eo tempore quo Tituli , ac Diaconiæ per Urbis regiones distributæ sunt , ii etiam Episcopatus ut *Cardinales* , seu *Principales* designati fuerunt . Nihilominus exploratum etiam est ab octavo fermè saeculo ejusmodi Episcopos coepisse *Cardinalis* nomine insigniri , nam quamvis Casalius hoc referat ad tempus Honorii II. anno 1125. , & novissimè Thomasinus p. 1. lib. 2. cap. 116. eidem suffragetur negans ante millesimum tales Episcopos *Cardinalis* appellatione fuisse condecoratos , tamen rectè notat Card. Brancacci communem sententiam esse contrariam ; siquidem Episcoporum Cardinallum mentio fit sub Stephano IV. anno 769. apud Anastasium in ejus Vita , & Baronium anno prædicto .

Quæres 5. Quænam fuerint sacrarum functionum ministeria , in quibus Pontifices Romani præfatos Episcopos adhibebant ? R. Præcipuum fuisse Ministerium Altaris , ut scilicet celebranti Pontifici , juxta Ritum quem in ordine Romano conspicimus deservirent ex Brancacci , deinde ut in Ecclesia Lateranensi , inquit Plattus ( ubi Pontificia Sedes fuit usque ad Gregorii XI. redditum Avenione ) singuli suis diebus per vices in ara maxima Sacrum peragerent modò præsente , modò absente Pontifice . Ordo autem sic se habebat , ut Dominicus dies Ostiensi tributus esset , proximus Episcopo Cardinali Sylvæ candidæ seu S. Russinæ , tertius Portuensi , reliqui deinde Sabino , Praenestino , Tusculano , Albano . Ecce ipsum Anastasii testi-

monium de nomine & Officio talium Episcoporum sub Stephani IV. = *Hic* (nempe Stephanus) *constituit*, ut *omni die Dominico à septem Episcopis Cardinalibus hebdomadariis*, qui in Ecclesia S. Salvatoris *observant Missarum solemnia*, super Altare B. Petri *celebraretur*, & *Gloria in excelsis Deo dicere*atur &c. = Hinc mirabar cur Baronius ad annum Christi 1057. scripserit B. Petrum Damiani *titulo bacchanus inaudito* vocasse suos Collegas Episcopos Suburbicarios *Cardinales*, cum hujus denominationis ipsem fateatur extare memoriam labente saeculo octavo; sed fortasse id causæ fuit ut vir tantus hoc ediderit, quia raro illi Episcopi ante annum millesimum appellabantur *eo titulo*, ac potius aliis titulis frequentissimè apud Vulgus distinguebantur; quod autem raro, parçè, ac minus frequenter comparatè ad id quod frequentius, ac ferè semper contingit, id juxta vulgarem & communem loquendi modum, saepius dicitur *non fieri, non factum esse*, uti ex profana & sacra litteratura fusè ostendit *Ulo a Decad. I. Reg. 4. in Sacram Scripturam.*

Quæres 6. Quinam essent ii alii Tituli, quibus ejusmodi Episcopi appellabantur? Rq. plures fuisse; nam in primis appellabantur *Episcopi Lateranenses* ut apud Kirker in sua historia Sancti Eustachii vetus quædam inscriptio confirmat. Item dicebantur *Episcopi Cooperatores, Hebdomadarii, & Collaterales*, ut ostendit Em. Card. Rasponi in sua Basilica Lateranen. lib. 1. cap. 3. ex Joan. Diacono in hist. de rebus Lateranen. item ab Anastasio IV. anno 1154. in quodam diplomate Archivii Lateranen. vocantur *sui Vicarii* in dicta Basilica. Item aliquando vocati sunt simpliciter *Episcopi Romani*, sicuti habetur in Chronic. Cassinen. lib. 30. cap. 30. apud Brancacci, Thoma-sinum, aliosque.

Quæres 7. An tales Episcopi, utpote Pontifici Assidentes, & *Cardinales* nuncupati, semper aliis Episcopis Cultu, vel Honore

## 6 De Episcop. Cardinal. Suburbicariis

re præiverint à Rx. negative ex Brancacci, Platto, aliisque; nam multo tempore ejusmodi Episcopi nihil præcipui præ aliis Episcopis habuere, nec aliis præcedebant nisi essent antiquiores ordinatione, quod omnibus commune est. Quare Præminentia supra cœteros Episcopos, ut notat Morinus de sacris Ordinat. p. 3. exercit. 16. cap. 3., sive ex usu, sive ex Privilegio, sive ex Officio adepti sunt post Gregorium VII., & Urbanum II., nempe, sub finem sæculi undecimi.

Quæres 8. Utrum aliquis sit Præcedentia Ordo inter hosce ipsos Episcopos Suburbicarios à Rx. sciendum esse quod Senior ratione suæ ordinationis hos inter Episcopos, teste Azzorio tom. 2. l. 4. cap. 1., dicebatur *Prior*, deinde *Decanus* appellatus est; nam ut bene observat Cohellius, *Decanus* is dicitur, qui est præcipuus inter aliquos ejusdem Ordinis, vel *Statutus*. Hic porrò jam ab antiquo aliis Suburbicariis Episcopis præcellebat, quod deinde Paulus IV. sua Constitutione sancvit decernens ut statim ac Episcopus Cardinalis *Decanatum* obtinuerit; is non solum aliis Episcopis Cardinalibus, sed aliis omnibus Cardinalibus etiam antiquioribus semper in quibuscumque sessionibus, & aliis actis publicis præcedat. Quare constat Episcopo Cardinali Decano competere Præcedentiam non solum respectu aliorum Cardinalium sed etiam respectu aliorum Episcoporum Cardinalium; at verò secluso Cardinali Decano, inter cœteros Episcopos Cardinales, ille præfertur, qui Prior Suburbicarium Episcopatum obtinuit; nam in Præminentia libus inter pari dignitate decoratos locum habet regula, qui prior in tempore, potior est in jure. Dubitatum olim fuit an Prærogativa Præcedentia quam habet Decanus, illi obveniat ex Episcopatu Ostiensi vel ex Decanatu? Et quidem Pars affirmativa in favorem Ecclesiæ Ostiensis magnam habebat Præsumptionem tum quia ab antiquissimo tempore, ac certè post editam Paulinam Constitutionem ad nostram ferme

mè ætatem Cardinalis *Decanus*, fuit semper Episcopus Ostiensis, tum quia Ecclesia Ostiensis pluribus insignitur Ornamentis: Nihilominus contrarium evincitur ex *Praxi* quam nuperis temporibus vidimus in Eminentissimo Cardinali Pignattelli, qui Decanatum non cum Ostiensi, sed cum Portuensi Ecclesia conjunxit, unde primum est colligere Prærogativas Decanatus *per se* stare independenter ab Episcopatu Ostiensi. Cœterum valde congruum est ut qui est Sacri Collegii Decanus, idem sit Episcopus Ostiensis; nam Episcopatus Ostiensis magno semper in honore habitus est, eidemque proprium, ac peculiare est, teste S. Augustino epist. 165., ut ipsius Antistes Romanum Pontificem consecret, ac Pallio, quod est Archiepiscoporum Insigne, utatur ex Marci Pontificis instituto, ut testatur Damasus, & propterea fælicis recordationis Bened. XIII. constituerat in sua Bulla *Pastorale* &c., ut *Ostiensis*, eidemque canonice unita *Veliterna Ecclesia* Sacri Collegii futuro Decano optanda asservaretur.

Quæres 9. An præter Ostiensem cœteri etiam Cardinales Episcopatus habeant peculiarem aliquam, ac propriam Prærogativam specialis Honorificentiæ? Rx. In primis omnes & singuli ejusmodi Episcopatus habent hoc peculiare, ut sint cœterorum in Occidente antiquissimi, & à primis nascentis Ecclesiæ incunabulis, imo non desunt, qui eos omnes a S. Petro Apostolorum Principe immediate velint institutos, quod majori cum fundamento videtur assertum de Episcopatu *Tusculan.*, & *Albanen.* ut observat Piazza in sua Hierarch. Cardinalitia. Præterea Portuensis ut unitus Episcopatui S. Ruffinæ id habuit olim proprium, ut Transfyberinam Urbis regionem, Licaoniam insulam & Civitatem Leoninam jure Dioecesano sibi obstrictam possideret, & proinde in locis illis poterat, post Romanum Pontificem, solus ipse Episcopus Portuensis, ut Episcopus etiam S. Ruffinæ per Episcopatum unionem

### 8 De Episcop. Cardinal. Suburbicariis

nem Ecclesias , Altaria, Episcopos , & Moniales consecrare , Sacerdotes , & Clericos ordinare , visitare , jus dicere in Spiritualibus , & coetera omnia peragere , quæ alii Episcopi in suis Dioecesibus expedire solent , prout ex Pontificiis Constitutionibus ostendit Michael Lonigus in sua epistola ad Franciscum Card. Sfortiam , quæ extat apud Brancacci in suo Opusculo de Optione &c. Verum ejusmodi Privilegii usus hodie penitus sublatus est , sive ex ipso non usu , sive ex Pontificia abrogatione . Præterea Albanen. Episcopus jus quoddam videtur olim habuisse assistendi Consecrationi Romani Pontificis ; ait quippe Anastasius Bibliothecarius ad annum Christi 683. S. Leonem II. ordinatum fuisse à tribus Episcopis , idest , Andrea Ostiensi , Joanne Portuensi , & Placentino Velternensi , pro eo quod Albanensis Ecclesia Episcopum minime habuit , unde videtur ad Albanensem talis Assistentia de jure pertinuisse , dum dicitur in illius locum suffectus Velternensis . Sabinensis etiam Episcopus suas peculiares , easque valde conspicuas habet Prærogativas , nam teste Viro Clar : Dominico Magri in sua ep. ad Card. Brancacci , Episcopus Sabinen. absente Pontifice coronat Imperatorem . Quare , inquit cit. Aucto<sup>r</sup> , Clemens V. annuens precibus Henrici Romanorum Regis , qui imperatoria petebat insignia , cum ipse Viennensi Concilio detineretur eam provinciam demandavit Arlondo de Palagrue Sabinensi , Leonardo Albanensi , & Nicolao Ostiensi Episcopis , nec non Francisco , & Lucae Diaconis Cardinalibus , quibus omnibus singula munia impertitus est . Ast in Consistorio maxima irrepit disceptatio , quisnam eorum preferendas foret , allegante Ostiensi , quod cum Pontificem consecrare suum esset , ita & Imperatorem coronare : Sabinensis verò afferebat tanquam certum & evidens , quod in Coronatione Imperatorum , ipse Papa proximior Imperatoriam coronam sustentaret , sicque sanctum fuit , Papa decretante , ut Sabinensis illo fungeretur munere , ceterisque praeset ,

*set, ut refert Raynaldus ad annum Christi 1311. num. 6.*

Quæres 10. Cur Sabinensis Episcopus non ab aliqua Civitate, vel Metropoli, sed à tota Provincia nominetur?

Rq. Rem hanc doctè, ac fusè tractari à Viro Cl. Dominico Magri *in sua speciali hac de re dissertatione* ad Card. Brancacci. Ex hoc igitur Auctore breviter, quoad potero, ac summatim reponam. Sciendum itaque est Tres olim in Sabina fuisse Episcopatus, nempe, Curensem, Foronovens., Numentanum. Verum ob varios Barbarorum incursus cum altera post alteram eversa, & redditibus spoliata fuerit Cathedralis Ecclesia; consilium iniere Romani Pontifices ut alteram successivè alteri unirent; atque uni eidemque Episcopo alteram, & alteram Ecclesiam regendas traderent, ut constat ex lib. 2. epist. 20; S. Gregorii Magni, qui Curensem seu S. Anthimi Episcopatum Numentano Episcopatui addixit, conjunxitque. Ultimus ex tribus relatis Episcopatibus, qui superstes alias duos auctoritate Pontificia complexus est, fuit Foronovens.; cuius ibi sita erat Cathedralis, ubi nunc Ecclesia S. Mariæ Novæ, vulgo *Vescovio*, sed Foronovens. etiam Civitas solo æquata cum fuerit, nec alia esset in Provincia Sabinen., seu tota, quod idem est, Foronovens. Dioecesi Civitas, a qua denominaretur Foronovens. Episcopus, is propterea a Provincia nomen desumpsit, ac dictus est Episcopus Sabinen. Sic nostris temporibus, inquit cit. Magri, evenit *Episcopo Convenarum*, vulgo, *Cominges*, *in Gallia*, *in cuius districtu cum nulla existat Civitas, inscribitur ab illa Oppidorum collectione, in quam accolæ paulatim convenere, illisque datus est Pastor, qui Gregem illum regebet*. Hinc habes, quod ex defectu Civitatis opportunæ ad Episcopalem Dignitatem sustinendam Episcopus Foronovens. in Sabina Nomen sibi & appellationem a Provincia quæsierit. Neque obstat quod anno 1494. Alexander VI. ad preces Oliverii Card. Caraffa Episcopi Sabinen. Ecclesiam tunc Collegia-

tam S. Liberatoris in Oppido Malleani in Cathedralem, & Oppidum ipsum in Civitatem erexerit, unde nunc videatur Episcopus Malleanensis nuncupandus; nam ex eadem Alexandri Constitutione perspicuum est id factum ut Residentia Episcopalis tuto in loco esset, nec injuriis Facinorosorum exposita in agro Foronovens. deserto, & incolis destituto, uti antea exposita erat; non verò ut Malleano daretur proprius Episcopus, aut ab antiqua Foronovens. Cathedrali Episcopus omnino dimoveretur; nam Pontifex in ea citata Constitutione Sedem Episcopalem Malleani cum posuerit, non propterea Episcopum vocat Malleensem sed *Sabinensem*, & in veteri Cathedrali Foronovens. statim anni temporibus a novæ Cathedralis Canonicis decernit Missam & Vespertas celebrari. Accedit quod Leo X. de anno 1521. ægrè ferentibus, ac reclamantibus Sabinæ Oppidis quasi ipsis saltem in speciem ablata esset antiqua communis Cathedralis, eaque data esset Malleano, confirmavit quidem novam Malleani erectam Cathedralem, sed veterem pariter in pristinum decorum restituit, indeque divisa est Sabina in veterem ac novam, factumque jus Episcopo ut veteris ac novæ Sabinæ Episcopus appellaretur, ex Lucens. apud Ughel.

## C A P U T     I I .

*De Electione, & Optione ad tales Episcopatus.*

**E**xploratum est apud Eruditos varias olim in Ecclesia Dei eligendi & creandi Episcopos formas fuisse, variumque stylum; nam primò Apostoli auctoritate accepta a Christo Dominò in sui locum Episcopos elegerunt, & crearunt, *ex Azor; Thomasin. aliisq.* Deinde scientibus, & non repugnatibus Rom. Pont. (cum jure possent, siquidem post Apostolos jus eligendi;

di; & creandi Episcopos ad Romanum Pontificem pertinuit: ex Cap. omnes dist. 22. ) Clerus uniuscujusque Ecclesiæ Cathedralis, aliquando simul cum Populo, aliquando sine populo ( non enim idem semper mos, & usus ubique retentus est ) Episcopum nominabant, designabant, eligebant &c. de qua re videatur cit. *Thomafinus tom. 2. lib. 2. cap. 1.*, & seqq. apud quem cap. 11. reperies ex epistolis S. Gregorii recte illatum, consueuisse per Italiam Romanum Pontificem dare, & constitutere per se ipsum Episcopum illi Civitati, seu Ecclesiæ Cathedrali, in qua a Clero & Populo non reperiebatur vir tanto muneri Par aut Idoneus. Tandem ultimis hisce sæculis stetit penes Romanum Pontificem, atque hactenus stat jus conferendi Episcopatus, id enim sibi Pontifex reservavit, ut constat ex *Extravagant. ad Regimen &c.*, & ex *Regula 2. Cancelariæ*, quamvis non eodem semper modo hæc fiat ab eo Collatio; nam aliquando is Episcopatum confert nulla prævia electione, nominatione, aut Optione, & tunc ea Collatio ex jure Canonico dicitur *libera*, & *simplex Collatio*: aliquando confert præcedente Electione Canonicorum ut moris est præsertim in Germania, & tunc ea Collatio dicitur *Confirmatio*, aliquando confert prævia Regum vel Principum nominatione & tunc ea Collatio dicitur *Institutio*. Demum aliquando confert prævia Optione quam facit Persona Privilegiata, & tunc ea Collatio dicitur *Provisio*, ut videre est apud Azor. tom. 2. lib. 3. cap. 29. q. 2., *Thomafinus loc. cit. & Cœremonial. Rom. sect. 8. de Creatione Episcopi Cardinalis*. His præmissis.

Quæres 1. An Episcopatus Cardinalitii Suburbicarii conferantur nulla prævia electione, nominatione; & Optione, vel prævia saltem Optione?

Ré. Distinguendum esse inter priora antiquissima Ecclesiæ tempora, inter Media, ac demum nostra hæc posteriora. Si antiquissima inspiciamus post SS. Petrum & Paulum aliosque

Apostolos usque ad tempora S. Gregorii I., immo & ad Caroli Magni, & Ludovici Pii Imperatorum, verosimile est ejusmodi Suburbicariis Ecclesias Episcopos datos esse per Electiōnem Cleri, & Populi sive eligentis sive praeclaris postulantis, ut per ea tempora in more positum erat teste *Thomasino* loc. cit. neque obstat, quod S. Hippolitus Martyr de anno Christi 229. dicatur apud Baronium a S. Callisto Pontifice Portuensis Ecclesiæ Episcopatu donatus; nam sensus esse potest quod tanto muneri parem Clerus Portuensis cum neminem reperiret, ipse Pontifex (ut mos tunc ferebat, teste eodem *Thomasino*) manus apposuerit, & opportunè ad limina Apostolorum ex Oriente adventante Sanctissimum Virum Hippolitum Portuensi Ecclesiæ præfecerit.

Si verò *Media* consideremus tempora, quæ à S. Gregorio, vel à Carolo Magno effluxere usque ad tempora Eugenii IV., Pii & Pauli II., imo & Alexandri VI. crediderim consueuisse ipsos Romanos Pontifices liberè ac simpliciter nulla prævia electione, nominatione, vel Optione Episcopatus ejusmodi conferre Personis idoneis, sive eæ essent è numero Cardinalium, sive non essent, & siquidem numero Cardinalium eæ prius accenserentur, nihil intererat, sive essent ex Ordine Presbyterali, sive ex Ordine Diaconali. Accepimus quippe ex Historiis S. Bonaventuram cum adhuc non esset inter Cardinales cooptatus, Episcopatum Albanen. à B. Gregorio X. obtinuisse; & Joannem de Carvajal cum esset Diaconus Card. S. Angeli, a Pio II. Portuensi fuisse Episcopatu insignitum. Qua de re videatur Cœrimoniale Roman. id plane contestans *Sect. 8. de Creat. Episc. Card.*

Demum si novissima hæc quæ labuntur observemus tempora, Usus invaluit, ut ejusmodi Episcopatus conferantur a Pontifice prævia alicuius Cardinalis Optione, qua scilicet ipse sibi talem Episcopatum præeligat. Initium habuit ejusmodi usus,

usus, inquit Ughellius tom. I. Ital. Sac. in Episc. Sabinen. Episc. 55., sub Eugenio IV. anno 1431., quando Jordanus Card. Ursinus dimisso Albanen. Episcopatu transiit ad Sabinen., ex eo quippe factō per intervalla temporum ab aliis repetito, tandem jure consuetudinario receptum est, ut qui *Priores venissent ad Purpuram sibi illud munus Episcopatus deligerent, quod ex alicujus deceſſu contigisset vacare.* Accessit postremo Sixti V. constitutio *Postquam vetus &c.*, qua per legem sancitur, quod olim consuetudo invexerat, ibi enim conceptis verbis decernitur = *Cum aliquam ex sex Cardinalibus Ecclesiis, quibus Episcopi Cardinales præſunt per Obitum, vel Translationem, aut alias pro tempore vacare contigerit; antiquior quidem Card. Presbyter præſens, salvo cuique Episcopo Cardinali jure transfeundi, ad eam dimissa priore, cui præcerat, ut moris est, promoveatur =*

Quæres 2. An Modus obtinendi tales Episcopatus per optionem, conveniens sit?

R<sup>3</sup>. Visus est olim Ven. Card. Bellarminus in litteris ad Clementem VIII. à se datis, non satis hunc Modum probasse; scripsit enim hæc præfato Pontifici = *Concilium Tridentinum disertis verbis affirmat peccare mortaliter eos omnes, ad quos quo-cumque modo spectat Episcoporum Promotio, nisi eos præſiciendos curaverint, quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles, ipsi judica-verint, quæ est communis Doctorum Sententia: Expavi, fateor, cum his, terve in Sacro Consistorio, vidi ad Episcopatus Cardinalios promoveri aliquos, qui vel ob nimiam Senectutem, vel ob nimiam corporis debilitatem, vel ob defeluum Episcopalium virtutum, tales erant, ut non modo non utiliores, sed vix utiles, vel apti ad regendas animas judicari possent = Hæc ille = Cui Clemens VIII. reposuit, nihil se quoad Optionem talium Episcopatum immutandum ducere, cum à Prædecessoribus suis, etiam post Concilium Tridentinum, res hæc examinata fuerit,*

¶ ita

& ita constituta = Quod quidem satis superque est ne facile quispiam improbet, aut disciplinæ Ecclesiæ hunc morem minus consentaneum existimet; nam si aliquid ille habet incommodi, id tamen ex alia utilitate, pensatis ac libratis omnibus, compensatur. Præsertim cum Diœceses talium Episcopatum, teste Card. *Petra ad Const. I. Pauli II.*, sint sub quadam habituali jurisdictione Episcopi Romani, unde Card. Vicarius Urbis pro tempore existens habet in illis *cumulativeam quoad causas spirituales & jus easdem cognoscendi in gradu recursus*; immò, ut observat Urbanus VIII. in suo decreto 28. Novembris 1633., iis Episcopatus ob vicinitatem idem Urbis Vicarius, absentibus eorum Episcopis, vel alias impeditis, commode invigilare potest, & invigilat. Accedit ab ipso Urbano VIII. abundè provisum jam esse ne à proiecta Senectute aut nimia debilitate antiquorum Cardinalium detrimentum aliquod Optio secum afferat, siquidem ille die 20. Augusti anno 1629. sancivit ac decretivit ne ullus Cardinalium tam ex ordine Episcoporum, quam ex numero Presbyterorum ad Ecclesiam Ostien., & Velerernen., sive ad inferiores alias Episcopales Ecclesias transferri, seu promoveri possit, qui propter corporis infirmitatem fuerit quomodolibet ad illas, & alias Episcopales functiones exercendas inhabilis = De hoc autem decreto meminit Pax Jordanus, ac novissimè Illustrissimus Archiepiscopus Tria suis notis, ubi agit de Card. Privilegiis apud Plattum.

Quæres 3. Utrum Diaconus Cardinalis antiquior possit ejusmodi Episcopatus optare?

Rq. Extat Sixti V. Constitutio, cuius initium est = *Postquam vetus ille &c.* = in qua sequentes præscribuntur leges quoad Optionem Diaconorum Cardinalium ad ejusmodi Episcopatus = *Vbi post tres vacationes, tres ibidem ex ipsis Presbyteris Cardinalibus in Episcopos præfecti fuerint, tunc si quarta alicujus barum Ecclesiarum vacatio contigerit, excluso ea tantum*

tum vice antiquiore Presbytero , prior Diaconorum Cardinalium , qui Præsens fuerit , & in ætate legitima constitutus , vel si ille noluerit , vel nequiverit assumi , sequens Diaconus eisdem qualitatibus prædictus , ad eam promoveatur = Hinc constat olim jus Diaconis Cardinalibus fuisse optandi certis in circumstantiis Episcopatus Suburbicarios . Verum re discussa tempore Clementis VIII. in Rota , sub dubio *An Privilegium Sixtinum Cardinalibus Diaconis concessum optandi Ecclesiæ Suburbicarias , quarta earum vacatione occurrente , adhuc tunc vigeret ?* Non omnes convenerunt , sex nempe censuerunt fuisse Sublatum , vel suspensum : Coeteri putarunt adhuc vigere : sicque per pluralitatem votorum , conclusum fuit = *vel fuisse sublatum vel fuisse suspensum* = & sic servatum tradit ex Riganti Illustissimus Archip. Tria = Iterum cum fuerit excitata hæc vetus controversia sub Clem. XI. , per Congregationem particularem die 20. Martii 1715. unanimi consensu resolutum fuit = *Non competere Cardinalibus Diaconis jus Optandi , seu ascendendi ad sex Ecclesiæ Episcopales , sed tantum Cardinalibus Presbyteris* = eo fundamento , quod dicta Constitutio in hac parte , non fuerit usu recepta . Hinc patet non posse Cardinales Diaconos hos sex Episcopatus optare , uti apud Illusterrimum Tria latè prosequitur Clar. Riganti , & probat Praxis .

Quæst. 4. *An Presbyteri Cardinales absentes à Curia possint hosce Episcopatus optare ?*

Ré. Non posse hujusmodi Optionis jure uti quoscumque Cardinales sed qui fuerint præsentes in Curia , vel degerint intra duas dietas , ita refert Cl. Riganti , & habetur ex pluribus Pontificum Constitutionibus Pauli IV.: , scilicet , Sixti V. , Clem. XII. &c. Addas quod Optio expleri debeat in Consistorio ipsis præsentibus approbante , & consentiente Rom. Pont. , ex *Sixti V. Constat. unde &c.* Potest tamen Cardinalis præsens in Curia optare per Procuratorem , si domi infirmitate sit detenus

## 16 De Episcop. Cardinal. Suburbicariis

tus ex decreto S. Pii V. die 15. Maij 1566. his verbis expresso = *Decreuit Sanctissimus, quod Cardinales praesentes in Urbe, & domi infirmitate detenti possint optare, ac si essent in Confessorio, derogans Decreto si quod obflaret quoad hoc = Limites principalem assertionem, ut ea non habeat locum si Cardinales absentes fuerint à Curia ex causa publica, & ex destinatione Romani Pontificis, in tali enim casu possunt Cardinales optare etiamsi absentes, ex Const. Clementis XII.*

Quæres 5. An Presbyteri Cardinales absentes ob Residentiam apud Cathedram aliquam sibi commissam, habeant jus optandi has Suburbicarias Ecclesiæ vel mediatè per Procuratorem, vel immediatè per se ipsos transferendo se Romam?

Rg. Gravem circa hoc fuisse olim controversiam sub Clemente XI., qui rem expendendam, librandamque committere decreverat Romanæ Rotæ Auditoribus, vel aliis Romanæ Curiae Præfulibus, quando is, cuius intererat, ut à quavis litis specie abstineret, institut apud Pontificem ut sui ratione posthabita optio antiquiori ex Residentibus in Romana Curia deferretur. Deinde Benedictus XIII. de anno 1724. sua edita Constitutione, quæ incipit *Romani Pontificis fancivit, atque decrevit Residentem Cardinalem antiquiorem actu in Ecclesia aliqua Cathedrali, ideoque à Curia absentem, posse optare Ecclesiæ Ostiensem, ac Velerernen., & Decanatum per Procuratorem, si ipse ad Urbem venire nequiverit, easque assequi posse non secus ac si ipse præsens personaliter illas optasset.* Verùm Clemens XII. de anno 1731. sua pariter edita Constitutione quæ incipit *Pastorale Officium &c.* declaravit nonnisi à Cardinalibus, qui fuerint in Rom. Curia praesentes tempore ipso Vacationis alicuius ex sex Cathedralibus Ecclesiæ Suburbicariis, vel ab eadem Curia absentes ex causa publica, & destinatione Rom. Pontificis tantum, non tamen ex causa Residentiæ apud aliam sibi commissam Ecclesiæ Optari posse Cath-

thedralem Ecclesiam Suburbicariam sic vacantem: nec Cardinales ab ipsa Curia absentes, præterquam in solo casu superius expresso, ad Optionem ejusmodi, etiam per Procuratorem ex eodem Collegio specialiter deputatum, admittendos fore &c. Propterea in præsenti rerum Statu Absentia à Romana Curia ex Causa residendi apud Cathedram aliquam, non dat Jus Presbytero Cardinali antiquiori, vel alteri ex Episcopis Suburbicariis Optandi sive Ostiensem, sive aliam ex Suburbicariis Cathedralibus.

Quæres 6. An Presbyteri Cardinales antiquiores qui obtinent Episcopalem vel Archiepiscopalem aliquam Ecclesiam, si forte reperiantur ex legitima Causa Præsentes in Curia, quando vacaverit una ex his Suburbicariis Ecclesiis, possint illam optare atque aslequi, & simul priorem Ecclesiam sive Cathedram, sive Metropolitanam retinere?

R<sup>s</sup>. Mos iste, qui diu viguit optandi Ecclesiam Suburbicariam, & simul retinendi aliam Cathedram, vel Metropolitanam Ecclesiam, quam forte antiquior Presbyter Cardinalis obtinebat, à quampluribus Viris piis semper non satis conveniens fuit existimatus. Hinc Cardinalis piissimus Fridericus Borromæus cum alteri præcesset Ecclesiæ, nunquam potuit adduci ut Suburbicariam, quæ illi obveniebat ex ordine antiquitatis, optaret. Imo Summus Pontifex Urbanus VIII. in suo decreto Consistoriali 28. Novembris 1633. = *Invaluisse, ait, hunc morem optandi, illum tamen à se non laudari, nec improbari: commendari verò Cardinales aliarum Ecclesiarum Episcopos, utpote Card. Borromæum piæ memorie, & alios, qui Optione hujusmodi abstinuerunt = Eminentissimus verò Cardinalis Franciscus Brancacci Episcopus Viterbiensis cum illi Suburbicaria quædam Ecclesia optanda proponeretur, rem prius sedulò, & exquisitè perpendere voluit integro hac de re conscripto Opusculo, in quo diligenter discutit.* An & quatenus

licita sit Optio Suburbicarii Episcopatus cum retentione alterius Ecclesiae ubi oporteat residere? & ibidem variis pluribusque argumentis hinc inde adductis, ad extremum haec duo stabilivit, videlicet, 1. Tute posse Cardinalem Ecclesiam Suburbicariam optare, eamque priori alteri Ecclesiae super inducere, si prior ea Ecclesia adeo fuerit Suburbicaria proxima, ut moraliter cum antiquiori, continuata dici valeat, & non multum distans. 2. Non posse id licite facere, si una ita fuerit ab altera distracta, ut pro utraque invisa magna pati debeat Episcopus difficultatem. Postremis autem hisce temporibus Felic. record. Clemens Papa XII. volens omnibus iis malis occurrere, quæ ex tali Optione possent provenire, sua Constitutione, quæ incipit: *Pastorale Officium*: declaravit, ac decrevit Cardinalem obtinentem aliam Ecclesiam non esse habilem ad optandam Ecclesiam Suburbicariam, nisi prius absolvatur à vinculo, quo tenetur alteri priori Ecclesiae: Deinde habilitatum per factam absolutionem ab eo vinculo, posse quidem optare Suburbicariam Ecclesiam, sed quod spectat ad retentionem alterius prioris Ecclesiae, sive in administrationem, sive alio nomine, id totum pendere ab arbitrio, & voluntate Summi Pontificis sedulo dependentis circumstantias, & necessitatem, vel utilitatem Ecclesiae. En ipsa Clementis XII. Verba = Si quando evenerit Cardinales Patriarchali, Primali, Archiepiscopali, vel Cathedrali Ecclesiae Praefectos in dicta Curia ex legitima causa, aut Sedis Apostolicae licentia praesentes tum reperiri, cum factus fuerit locus Vacacioni alicujus ex sex Ecclesiis Suburbicariis hujusmodi, nostræ ac Romani Pontificis pro tempore existentis partes erunt animum sedulò advertere, & deliberare, dum absolvantur à vinculo, quo priori Ecclesiae tenentur ad effectum optandi, & assequendi Ecclesiam vacantem ex dictis Suburbicariis, utrum expeditat eis concedere administrationis, seu alio nomine, retentionem alterius Ecclesiae, cui antea

tea præerant , ac in primis utrum ambæ sint adeo propinquæ , ut Pastoralem curam utriusque commode impendere , suumque ministerium rectè implere valeant = Quamobrem satis videtur provisum ne ex optione Suburbicarii Episcopatus ab eo , qui alteri præest Ecclesiæ detrimenti aliquid derivetur , & ad quæsitum superius factum respondendum est . Posse à tali Cardinali optionem fieri , servatis tamen servandis ex citata nuper Constitutione Clem. XII.

Quæres 7. An Episcopi Cardinales , qui jam uni præsunt Suburbicariæ Ecclesiæ , possint in circumstantia vacationis alterius Suburbicariæ Ecclesiæ , istam optare relicta priori ?

R<sup>e</sup>. Sciendum est antiquissimum fuisse morem per mille & ducentos continuos annos , teste Panvino de septem Urbis Ecclesiis cap. 3. , & Platto cap. 2. , ut suam Cardinalis quisque teneret Ecclesiam , nec Diaconus Diaconiam semel acceptam , neque Presbyter Titulum , neque Episcopus Cardinalis Episcopatum suum mutaret . Nunc non solum Diaconi Diaconias , Presbyteri Titulos , sed etiam Episcopi , quod majus est , suos Episcopatus Suburbicarios relinquunt , & alium Suburbicarium optant , cuius rei initium cum occasione Schismatis in Concilio Pisano quoquomodo sibi necessitas induxit , postea ut fit , suo veluti jure Jordanus Card. Ursinus , ut supra dicebam , de anno 1431. dimisso Albanen. Episcopatu , annuente Eugenio IV. transtulit se ad Sabinen. pessimo sanè exemplo , inquit Ughellius tom. 1. Italiæ sacræ in Episc. Sabinen. , cum non adhuc Senatus mores admisisset , ut qui semel unus è sex , qui persistunt Pontifici , fuisset electus , ad alium Episcopatum transiret . Hic autem stylus optandi alium Episcopatum Suburbicarium dimisso priori , adeo superioribus proximis temporibus invaluerat , ut merito Ven. Cardinalis Bellarminus de hoc conquereretur apud Clem. VIII. , intra paucos menses , inquit ipse , misera Albanen. Ecclesia quater mutavit Episcopos , & Ecclesiæ

*sex Cardinalitiae, quæ omnibus aliis dignitate præstant, cura & diligentia Pastorali omnibus aliis cedunt, nam ut bene adnotavit Platus Cap. 2. ob tam crebram mutationem, illud inesse solet incommodi, ut Cardinales Ecclesiæ sibi commissas non ferè ament, & carent tanquam proprias, quas nimirum putent se propediem reliburos.* Huic etiam incommodo Pastoralis Clement. XII. providit Sollicitudo, etenim in præcitata sua Constitutione decrevit ut Cardinales qui unam ex prædictis Ecclesiis Suburbicariis obtinuerint; deinceps ad aliam, priore dimissa, ac Romano Pontifice approbante, *semel tantum transire possint*: salva tamen illis semper, atque illæsa facultate optandi præ via dimissione prioris, Ecclesiam Hostiensem: Quare ex dictis habes Cardinalem Episcopum posse dimisso priori Episcopatu optare alium Suburbicarium vacantem, *at semel dumtaxat*; ita tamen ut etiam facta hac unica mutatione, ipsoque ab Albanen. V. G. translato ad Sabinen. adhuc habeat jus optandi Ecclesiam Ostiensem, si ipse fuerit antiquior Episcopus, eaque forte vacare contigerit.

Quæres 8. An in optione, & assequitione Decanatus, seu Episcopatus Ostiensis, qui regulariter cum Decanatu conjugitur, Cardinalis antiquior in Episcopatu Suburbicario, & junior in Cardinalatu præferendus sit Cardinali juniori in Episcopatu, sed antiquiori in Cardinalatu?

R. Affirmativè: Quamvis enim de hoc olim orta fuerit controvèrsia, nunc tamen lis omnis dirempta est, postquam Benedictus XIII. in sua Const. *Romani Pontificis*, & Clemens XII. in sua Const. *Pastorale Officium*, declararunt Antiquitatem inter Episcopos Cardinales præsentes non esse metiendam à tempore suæ Promotionis ad Cardinalatus honorem, sed à tempore eorum ingressus in Ordinem Episcopalem, ita ut Decanatus ejusdem sacri Collegii ad antiquiorem in ordine Episcopali, tametsi posteriorem in Cardinalatu per-  
veni-

venire debeat. Hinc habes quare antiquior in Episcopatu Suburbicario etiam si junior in Cardinalatu præcedat aliis Suburbicariis Episcopis antiquioribus in Cardinalatu sed junioribus in Episcopatu. Habes etiam quod licet Cardinalis Diaconus ex Decreto Clem. VIII., transiens ad Ordinem Presbyteralem, eo ipso præcedat omnes Cardinales Presbyteros post se ad Cardinalatum assumptos; non ita Presbyter Cardinalis Episcopalem ordinem ingrediens, eo ipso alios Episcopos Cardinales post se ad Cardinalatum evectos anteit, sed in loco posteriori subsistit; nam antiquitas inter Episcopos Cardinales præcisè defumitur, uti antea diximus, ab ingressu in Ordinem Episcopalem.

Quæres 9. An Episcopus Cardinalis possit dimisso priori Episcopatu Suburbicario, alterum Suburbicarium optare licet, ac sine scrupulo, nulla interveniente rationabili causa, ac merè pro libito, aut pro majori proprio commodo, vel preventu?

R<sup>e</sup>. Videri quod non; nam Ven. Card. Bellarminus in suis ad Clem. VIII. litteris multiplici ex capite id accusat; etenim *Translatio*, inquit, *Episcoporum secundum canones*, atque usum veteris Ecclesiæ non debet fieri, nisi ob Ecclesiæ necessitatem, vel maiorem utilitatem: neque enim institutæ sunt Ecclesiæ propter Episcopos, sed Episcopi propter Ecclesiæ. S. Gregorius, ut refert Joannes Diaconus in ejus *Vita lib. 3. cap. 18.* neque ipse ullum Episcopum ab Ecclesia sua ad aliam transtulit, neque ab aliis transferri unquam assentiri voluit. Præterea notum est ex Cap. *Inter corporalia de Transl. Episc.* *Vinculum Matrimonii Spiritualis esse aliquo modo majus*, quam *vinculum Matrimonii corporalis*, ac præterea non posse solvi, nisi à Deo, sive à Vicario Dei declarante voluntatem Domini sui. *Quis autem credat velle Deum ut ob solum temporale lucrum, vel honorem vinculum sancti hujus Conjugii dissolvatur?* Præterim cum

22      *De Episcop. Cardinal. Suburbicariis*

*id sine detrimento animarum fieri nequeat , ut experimentum ipsum docet: neque enim Episcopi Ecclesiæ diligunt , quas brevi se deserturos sperant , ut ad alias commodiores transeant : Ha- Etenus Bellarminus .*

Scio non deesse , qui ad ejusmodi difficultates evitandas docuerunt hos Episcopos Suburbicarios , nomine tenus esse Episcopos talium respectivè Civitatum , non autem Pastorali erga illas obstringi munere : sed perperam id omnino ; nam ii sunt veri talium Civitatum Episcopi , & cum iis respectivè Ecclesiæ spiritualis matrimonii vinculo colligantur : ex Bran- cacci in *dissert. de Optione* : Alii cum Hurtado de Resid. tom. 2. lib. 2. resol. 7. dixerunt hos sex Episcopos habere dumtaxat jurisdictionem delegatam à Papa , qui solus Ordinariam in iis Ecclesiæ habet Potestatem , unde non esse mirum , si de loco ad locum illi , se transferant : verùm hæc etiam Opinio falsa est & ab omnibus exploditur .

Dicendum proinde . Non posse tales Episcopos merè pro libito , & sine ulla rationabili causa se licetè transferre de una ad aliam Ecclesiam vacantem ; *Posse tamen semel ex causa aliquia spectante sive ad necessitatem , sive ad utilitatem Ecclesia vel particularis , vel Universalis* . Hæc porro necessitas vel utilitas Ecclesiæ Universalis plerumque existit in Transitu de una Ecclesia Suburbicaria ad Ecclesiam Ostiensem :

Triplex est Positio triplicem habens partem : Probo primam partem , nempe : *id non licere nulla intercedente causa rationabili* ; nam quilibet actus humanus ac deliberatus si consideretur in individuo , ex hoc ipso repugnat rationi , & habet rationem mali , prout docet S. Th. 1. 2 q. 13. art. 10. , quod non sit ad debitum finem ordinatus , ergo illa voluntaria Mutatio Episcopatus facta mere pro libito , & non ordinata ad ullum rationabilem finem , non potest non repugnare rationi , & non habere rationem mali . Præterea sacri Canones omni-

no yetant fieri mutationem Episcopatus ex propria cūjusquam voluntate *sine ulla rationabili causa*, ut constat ex Can. *Mutationes, & Can. Scias Frater 7. q. 1.*, nec præsumendum est Pontificem in hoc ipso dispensare, & annuere, ut deordinatio in re tam gravi fiat, ac propterea illicitè pro mero libito ac sine rationabili aliqua causa Mutatio Suburbicarii Episcopatus à quopiam haberetur.

Probo secundam partem, nempe, *Potest semel hanc mutationem licet fieri ex causa aliqua rationabili concernente necessitatem, vel Utilitatem Ecclesiæ sive particularis, sive Universalis, puta, si fuerit quis ad eum Senex, ut minus commode valeat suæ Ecclesiæ inservire utpote ampliori, ac deviæ, possit autem alteri tunc vacanti magis restrictæ, & ad quam facilius est iter, vel si ob peculiarem assistentiam Rom. Pontifici præstantam in Officio aliquo Rom. Curiæ expediret, ut Ecclesiæ magis Urbi propinquæ ille præcesset &c.* Ratio est, quia in ejusmodi casibus adesset ex una parte canonica ratio mutandi Episcopatum, videlicet, *Utilitas, vel Necesitas Ecclesiæ*, & ex alia adesset licentia Pontificis qui, ut vidimus ex Constit. cit. Clem. XII., permittit Suburbicariis Episcopis *semel* transire de una ad alteram Ecclesiam.

Probo tertiam partem, scilicet, *quod Utilitas, vel necessitas Ecclesiæ universalis plerumque adsit in transitu ad Episcopatum Ostiensem*; nam Ostiensis Episcopatus plerumque ac regulariter vacat *ex Obitu Cardinalis Decani*, & consequenter aperitur tunc via, ut Seniori Episcopo Cardinali, ad quem suo veluti jure Decanatus devolvitur, etiam talis Episcopatus optio concedatur; est enim valde utile ac decorum Ecclesiæ Rom., & universalis, ut qui futurus est Saeri Collegii Decanus, idem sit Episcopus Ostiensis, qui peculiaribus, ut inquit Clemens XII., gaudet prærogativis, ac præsertim illa, quod Cardinalis qui ei Ecclesiæ præfest Pontificem Maximum solemnni

lemini ritu, pallio etiam adhibito, consecret; ac propterea adest justa causa ut Senior ille Episcopus Cardinalis prævia dimissione prioris, *Ecclesiam Ostiensem* optet, nec in eo casu Rom. Pontificis deest assensus, siquidem expressè in cit. Const. Clemens XII. illum præbet.

Quæ verò opponebantur à Ven. Card. Bellarmino nostris assertionibus nullatenus adversantur, ut consideranti per spicuum est. Illud dumtaxat animadverto, existimasse Venerabilem illum Cardinalem vinculum matrimonii spiritualis, Episcopum inter & Ecclesiam, esse *de jure divino*, neque in eo posse Rom. Pontificem dispensare, sed solummodo declarare voluntatem Domini sui; Verum juxta recentiores Canonistas *Indissolubilitas talis vinculi* probabilius, tantum est *Juris Ecclesiastici*, atque idcirco potest in ea Pontifex ex justa causa dispensare, imò non repugnat præscripta Consuetudo, qua rationabili existente causa hi sex Cardinales Episcopi intelligantur ab eo vinculo dispensati. Neque obstat quod idem Ven. Cardinalis addebat, Vinculum scilicet Matrimonii spiritualis esse aliquo modo majus, quam vinculum Matrimonii carnalis, nam intelligendum id est, *non universaliter*, & *quoad omnia*, *sed secundum aliqua, nempe, secundum Charakterem*, quem consecratio Episcopalis imprimit, siquidem Episcopus resuscitatus, deberet redire ad suam Ecclesiam, secus autem Vir ad uxorem: deinde per Matrimonium spirituale solvi potest carnale, non verò è contra; nam post matrimonium etiam carnale consummatum possunt Conjuges mutuo consensu Religionem ingredi, & in ea profiteri; qui autem Religionem semel professi sunt, non possunt deinde Matrimonium carnale contrahere, consequenter *quoad hæc*, *aliaque similia* Vinculum spirituale majus ac fortius est quam carnale, non autem *quoad hoc*, ut nequeat auctoritate Pontificis *en justa causa* dissolvi etiamsi fuerit per consecrationem consummatum.

Vid.

Vid. Reiffenstuel h. t. §. 1. num. 14. 15. & 16., aliosque Canonistas.

Postremum quod idem Cardinalis addebat de detrimen-  
to resultante in Ecclesiæ respectivæ, ob mobilitatem Episco-  
porum, qui propterea erga illas tanquam à se deserendas pa-  
rum, aut vix amore afficiantur, vim enim vero aliquam præ-  
fert; sed huic incommodo satis videtur provisum per cita-  
tam Clem. XII. Constitutionem, qua semel dumtaxat permittit  
transitus de una ad aliam Suburbicariam Ecclesiæ servato  
tamen semper jure transiendi ad Ecclesiæ Ostiensem; in  
quo si quidquam adhuc particulari Ecclesiæ minus opportu-  
num contingat, suppletur sanè & compensatur ex utilitate,  
quæ in Romanam universalem Ecclesiæ redundat, cui quam  
maxime expedit, ut Cardinales specialibus gratiis, & specia-  
libus potiantur Privilegiis.

Habes proinde *Non licere ex mero libito, vel ex sola cau-  
sa majoris emolumenti, aut majoris Commoditatis de una ad al-  
teram Suburbicariam Ecclesiæ se transferre*, sed requiri cau-  
sam aliquam rationabilem spectantem ad utilitatem aut nece-  
ssitatem Ecclesiæ sive particularis, sive universalis.

Quòd verò Ughellius unius meminerit ex Cardinalibus,  
qui ob majorem reddituum copiam de uno ad alterum Subur-  
bicarium Episcopatum se transtulerit sciente, nec prohibente  
Pontifice, nihil refert; nam illa major reddituum copia fuit  
fortasse mera Occasio, non autem finis talis Translationis, si-  
quidem, ut bene ajebat in suo Parocco instructo P. Paulus Se-  
gneri cap. 3. = *Non si dice che punto agli emolumenti terreni  
non corra l'occhio, mentre anzi, dove è più di fatiche, però  
appunto s'assegna più di stipendi, perché vaglion di stimolo ad  
accettarle, ma vuol essere l'occhio sinistro, non l'occhio destro:  
sicche gli Emolumenti non sieno mai fine d'accettare le Cure (di-  
cas etiam nec optandi Episcopatum), ma sieno spinta, o se*

*son fine , non sieno mai il Principale , ma l' accessorio = . Quare ex allato ab Ughellio exemplo non inferendum est licere translationem seu optionem ob finem temporalem redditum , & præsumendum est Reditus fuisse aliquando nonnemini incitamento , ut is majores labores , & majorem Ecclesiæ utilitatem appeteret : juxta Cap. Consulvit: dist. 74.*

Quæres 10. Utrum Cardinalis Episcopus Suburbicarius possit huic Episcopatui renunciare ? & quatenus affirmativè utrum intelligeretur *hoc ipso* renunciasse Cardinalatui ?

R<sup>e</sup>. Ad primum dubium. Regula est generalis omnibus per se loquendo licere Beneficia resignare justa causa intercedente , nisi specialiter prohibeantur , quia cuilibet , etiam Summo Pontifici , datum est suo Juri sponte cedere ; Cum autem nullibi prohibeatur his Suburbicariis Episcopis Episcopatum ejusmodi, interveniente justa causa , renunciare , sequitur quod possint se tali Episcopatu abdicare . Verum tamen est ad valorem hujus resignationis requiri consensum Romani Pontificis , nam cap. 4. de Renunc. sub poena excommunicationis prohibetur ne beneficiales Resignationes fiant sine auctoritate legitimi Superioris , qualis est respectu Episcoporum Cardinalium . Summus Pontifex : Hinc B. Petrus Damiani in litteris à se datis ad Nicolaum II. quamvis clare & expresse cesserit omni iure Episcopatus Ostiensis & Cardinalatus , tamen quia Pontifex huic renunciationi consensum præstare noluit , vim & effectum ea renunciatio nullum habuit . Secessit ille quidem consequentibus temporibus sub Alessandro II. , & eodem permitente in Eremum , sed ut notat Pagi in Breviar. Histor. Episcopalem curam atque onus retinuit . Quanquam ipse potius sub Nicolao II. existimari Sanctum Virum non renunciasse Episcopatui , sed simplicem fecisse illius dimissionem ; simplex autem *dimissio* , non habet vim *resignationis* : ex Rebuff. in Tract. de pacific. Posse. n. 170.

Ad

Ad alterum verò dubium utrum Cardinalis Episcopus renuncians Episcopatum, intelligatur *hoc ipso* renunciare Cardinalatum! videtur quod sic: 1. quia connexorum eadem est Ratio; cum autem Episcopatus Suburbicarius suapte natura connexus sit Cardinalatui, sequitur, quod resignans talem Episcopatum, hoc ipso resignet Cardinalatum. 2. quia Cardinales distribuuntur in tres Gradus, nempe, Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum; cum autem renuncians Episcopatum non sit amplius in ullo ex his gradibus, siquidem non est amplius Cardinalis Episcopus, nec Card. Presbyter, aut Card. Diaconus, sequitur non esse amplius Cardinalem. 3. quia ex Reg. Jur. 42. in 6. *Accessorium naturam sequi congruit Principalis*: Atqui dignitas Cardinalitia est quid accessorium tali Episcopatui, ergo debet sequi naturam, & conditionem illius, ac propterea resignato eo Episcopatu, intelligitur hoc ipso resignatus Cardinalatus.

Nihilominus contrarium verum est. Nam Dignitas Cardinalitia *de per se stat*, & tanquam propria virtute subsistit independenter ab Episcopatu, Titulo, & Diaconia. De facto cum Pontifex aliquem pronunciat Cardinalem in Consistorio, & Decretum facit, quo auctoritate sibi à Deo tradita illum creat Cardinalem, tunc virtute talis Decreti illico efficitur Cardinalis, etiamsi nec Titulum, nec Diaconiam, nec Episcopatum, nec Insignia receperit, ut pluribus firmat Clar. Riganti de Prot. Dissert. 3. n. 61. & Card. de Luca in *Relat. Cur.* disc. 5. à num. 10. Consequenter non *hoc ipso* quod quis renunciat Episcopatum Suburbicarium, renunciat etiam Cardinalatum. Accedit quod gratis etiam dato Cardinalitatem dignitatem non subsistere sine tali Episcopatu, adhuc non verificaretur id quod negamus; nam regulariter renuncians Episcopatum, renunciat quidem *loco*, non autem *loco & Ordini*, seu *Dignitati*, idest, renunciat Curæ, Officio, seu Admini-

28      *De Episcop. Cardinal. Suburbicariis*

strationi Episcopali , retinet tamen Titulum , & Dignitatem Episcopalem ; ac proinde Cardinalis renuncians Episcopatui Suburbicario , intelligeretur quidem renunciasse Curæ , & Administrationi illius Episcopatus , attamen retineret *Titulum* , & *Dignitatem* Cardinalis Episcopi .

Neque obstant opposita : Non primum quia Connexionum eadem est ratio quando Connexio inter extrema est Convertibilis , secus quando ita non est . Jam verò in casu non est convertibilis , nam licet Episcopatus Suburbicarius nequeat stare sine Cardinalatu , tamen Cardinalatus potest ac de facto stat sine tali Episcopatu . Non secundum ; quia verum est Cardinales distribui in tres Gradus , seu Ordines , attamen actualis distributio non est essentialis dignitati Cardinalitiae , quæ in priori ad actualem hanc distributionem subsistit , ac perfectè dicitur Cardinalis etiam ille , qui adhuc non censetur inter Diaconos , Presbyteros , vel Episcopos . Non tertium , quia Dignitas Cardinalitia *specificativè* habet quidem figuram accessoriū respectu talis Episcopatus , verè tamen , & propriè accessoriū non est , nam ea principaliter consideratur à Jure , & propria virtute subsistit , unde non sequitur naturam & Conditionem Episcopatus , ut recte notat *Phæbus* ad hanc Regulam *juris* 42. Habes proinde quod Episcopus Cardinalis possit renunciare suo Episcopatui , & quod in ea hypotesi ipse esset , ac diceretur non Diaconus Cardinalis , non Presbyter Cardinalis , sed *Episcopus Cardinalis* , qui renunciavit Episcopatui .

Quæres 11. Utrum Cardinalis Episcopus optans novum Episcopatum , si exegerit Pensiones agrorum spectantes ad mensam Episcopatus dimissi , teneatur ad restitutionem anticipatè exactorum ?

R<sup>q</sup>. De hac re agit Cohellius in Notit. Card. cap. 16. Privil. 41. , & loquens in terminis de Titulis Cardinalitiis docet in una Romana pecuniaria 13. Februarii 1626. fuisse decisum

coram Durano, quæ impressa est decis. 20., dividendas esse  
bas Pensiones prorata temporis inter dimittentem, & Optantem  
quia Optans novum Titulum (idem dic. de Episcopatu) definit  
esse Titularis Tituli dimissi. Quoad fructus verò pendentes, &  
inexactos possent transactiōnem aliquam inire dimittens, &  
Optans sine Simonia; nam dubium est ad quem, & quomo-  
do, ii spectent: Pactum autem de re dubia non est Simonia-  
cum, licet Simoniacum esset, si iniretur de re certò ad alte-  
rum pertinente.

Quæres 12. Utrum si, quod absit, Cardinalis aliquis  
fuerit excommunicatus, etiam occulte, vel toleratus, vel igno-  
rans suam excommunicationem, validè optet Episcopatum  
Suburbicarium?

Rq. Videtur quod non: quia Excommunicatus quicum-  
que, & quomodo cumque ille sit incapax est, & inhabilis ad  
quodcumque Ecclesiasticum Beneficium, seu Dignitatem,  
prout docet Glossa communiter recepta in Cap. penult. de Cle-  
rico Excommunic. Dicendum tamen est cum distinctione. Vel  
enim Cardinalis optaret cum actuali acquisitione novi Episco-  
patus, vel optaret seu potius acceptaret Optionem differendo  
èxequutionem seu permutationem usque ad tempus obtentæ  
absolutionis! Si primum: Invalidè optaret; nam interveniret  
acquisitio novi beneficii, cuius Excommunicatus incapax est:  
Si secundum, validè optaret; nam talis optio, ut benè expendit  
*Moneta de Opt. cap. 4. quæst. 3.*, non esset Collatio vel acqui-  
sitio beneficii seu Episcopatus, quorum Excommunicatus inca-  
pax est, sed esset simplex declaratio voluntatis & consensus ad  
novum Episcopatum. Notat tamen Suarez de Cens. disp. 13.  
sect. 1. n. 19. In tali casu ejusmodi factæ Optionis petendam &  
obtinendam esse absolutionem intra terminum concessum ad  
optionem cum effectu faciendam, alioquin Jus optandi ad alium  
devolveretur: Intelligas, si non ignoraretur Excommuni-  
cacio omnino.

CA.

## C A P U T   I I I.

*De Officio, & Potestate Episcoporum  
Cardinalium Suburbicariorum.*

**I**N quolibet Episcopo tria potissimum considerantur *Ordo*, videlicet, *Officium*, & *Potestas*. Jam verò *quoad Ordinem*. Hi sex Episcopi Cardinales planè convenientunt cum cœteris aliis Episcopis, habent quippe verum *Ordinem*, & Charakterem Episcopalem, ac verum cum suis respectivè Ecclesiis spirituale Matrimonium contrahunt, ita ut si non fuerint consecrati, quando Episcopatum optant, illud consument *ipsa Consecratio*, si verò fuerint alias consecrati, illud consument *adepta Possessione*: ex *Vasquez de Ord.* disp. 141. num. 10. Quoad *Officium autem*, & *Potestatem* discrepant in nonnullis cum aliis Episcopis, & quædam habent propria, ac peculiaria: Propterea.

Quæres 1. Quodnam sit *Officium proprium*, & *Peculiarum talium Episcoporum?* R. Coalescit eorum *Officium ex communi cum aliis Cardinalibus*, & *communi cum aliis Episcopis*: *Commune* habent cum Cardinalibus, ut ipsorum sit *Summum Pontificem eligere*, eidem perpetuò assistere, eumdemque in regenda Ecclesia universa consilio, & industria adjuvare: *Commune* habent cum Episcopis, *Gregi* sibi commisso ita præesse, ut non multò secus, inquit *Plattus cap. 4.*, ac si Episcopi non Cardinales essent, sedulam navent operam juxta *Trid. sess. 5. cap. 2. de Reform. Primo*. In Cultu divino, & Christiana Religione augenda, & conservanda: Deinde in procuranda suarum *Ovium Salute*, salubria suppeditantes pabula, arcentes corruptelas & vitia, denique veros se exhibentes animarum Pastores. Et sane tanto impensius ejusmodi

modi Episcopos augendæ & conservandæ Christianæ Religio-  
ni in suis respectivè Episcopatibus vacare oportet , quanto  
eorum respectivè Civitates ac Dioceſes olim amplæ , ac fre-  
quentissimæ , nunc infrequentes sunt , ac tenues , iisque pro-  
pterea Viris non valdè abundant , qui Populum ad Pietatem  
informent , & bonis artibus , institutisque Christianis Plebem  
instruant . Accedit sacros Fidei Quæſitores illinc abesse , unde  
non semel factum est , ut errorum latentes Magistri , qui su-  
perſeminarent zizania in iis deteſti fuerint . Enim vero ne re-  
centiora commemorem : narratur apud auctarium Ughellii ,  
Eminentissimum Cardinalem de Albergatis *Ludovisi nuncupa-  
tum* , Episcopum Sabinen . detexisse nefarium hominem in  
Oppido *Cottanelli* hæresibus conspersum , totique Provinciæ  
exitialem , qui locorum asperitate Cutiæ impervius pernicioſa  
dogmata spargebat , & securus incautos à recta in Deum Fi-  
de conabatur abducere . Adeo verum est ſollicitudinis hac in  
re , vigilantiæque plurimum iis Episcopis inesse oportere .

Quæres 2. Quodnam fit eorumdem Episcoporum , pro-  
ut tales sunt , *Officium* , & *speciale Munus* in Romana Curia ?

Rq. Olim , ut diximus , præter assistantiam Romano Pon-  
tifici in gravioribus Ecclesiæ negotiis *Munus speciale* ipsorum  
erat per hebdomadæ dies in gyrum apud Basilicam Lateranen-  
ſem Missam celebrare . Præterea consequentibus temporibus  
nempe sub Alexandro III. admissi fuere ad electionem Summi  
Pontificis ; nam antea , ut docet Baron. ad annum Christi  
1130. , non eligebant , sed tantum habebant facultatem acce-  
ptandi , vel rejiciendi electum : Nunc vero abolita ea faculta-  
te Par cum aliis Cardinalibus jus Electionis habent : *En pri-  
mum* . Pontifici Maximo pro Christiana , Ecclesiasticaque re-  
tuenda , augendaque præ coeteris Cardinalitii Ordinis præſtò  
ſunt . *En alterum* . His accedit eorum effe Partes in iis So-  
lemnioribus anni Festivitatibus , in quibus Pontifex publicè ad

aras operari non consuevit, Pontificali ritu Sacrum peragere in Sacello Apostolico, nimirum die Epiphaniæ, Feria V. in Cœna Domini, die Ascensionis, Pentecost. & Omnium Sanctorum. Supplent etiam ipsi Vices Pontificias in gravioribus illis, ac celebrioribus functionibus, quibus interdum Summus Pontifex vel aliis curis distentus, vel infirma valetudine impeditus cogitur abstinere: Enimvero vidimus de anno 1699. ineunte magno Jubilœo Episcopum tunc Portuensem Emmanuelem Card. Bullionum portam auream Basilicæ Vaticanæ reserasse pro Innocen. XII. ægrotante: item de anno 1737. Episcopum tunc Prænestinum Thomam Card. Rufo pontificaliter Missam celebrasse in Solemni aliquorum Sanctorum Canonizatione pro Clemente XII. senio jam gravi: item pluribus disjunctis annis Episcopos Prænest., Sabinen., Tusculan. Cardinales amplissimos in Festa Corporis Christi Venerabilem Eucharistiam è Sacello Pontificio religioso præeunte agmine ad Vaticanam Basilicam circumfulisse pro Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO XIV. extra Urbem degente. Quare perspicuum est grave admodum ac singulare esse Episcopi Card. Suburbicarii, quæ talis, in Romana Curia Officium, atque Munus.

Quæres 3. Utrum tales Episcopi habeant in suis respectivè Civitatibus, ac Dioecesibus Potestatem civilem ac temporalem?

R. Ex Card. de Luca in Relat. Cur. disc. 41. Episcopos Sabinen. Albanen. Prænestinum, ac Tusculanum habere in suis respectivè Civitatibus ac Dioecesibus jurisdictionem tantum *in spiritualibus*: Portuensem habere etiam aliquam *in temporalibus*, eam tamen de facto exiguum esse, ex defectu subjecti, videlicet, ob infrequentiam incolarum in loco. Ostiensem verò ac Veleri. ex eodem Card. de Luca p. 1. de Judiciis disc. 47. habere temporalem quoque jurisdictionem in Civitate Ostien.

Ostien. & Veleri. quarum est Gubernator, atque ut talis tres recipit instantias, ait de Luca, duas in ipsam Civitatem, tertiam in Urbe ubi Cardinalis Ostiens. & Veleri. Tribunalis non insimæ notæ figuram obtinet, cui ipse præest vel per se ipsum, vel per suum Auditorem ita ut civilem hanc suam & temporalem jurisdictionem exercere possit in ipsa Urbe Roma: Ex de Luca loc. cit. relate, nimirum, ad suos subditos Ostien. & Veleri., in quos merum & mixtum Imperium habere docet Ughellius. Notat autem Glossator Ughelli = *Jus illud mixti Imperii in Civitate tantum Velerensi possideri ab Episcopo Veleri.* = Quo verò primū tempore cœperis, ignotum. Primus, qui se offerat in aliis consistorialibus auctius hoc civili Velerorum dominio, est Alexander Card. Farnesius anno 1580. die 5. Decembris= ita Lucentius: At ex Bulla Pauli III. sub datum Romæ anno 1538. 17. Kalend Junii constat jam antea ab Alex. Farnesio Patruo hanc jurisdictionem Episcopis Velerens. traditam, quam deinde ad instantiam Joan. Card. Moroni S. Pius V. confirmavit, ut patet ex Bulla sub Dat. Romæ 28. Julii 1570. addita excommunicationis pena iis Judicibus, qui hanc auerent perturbare jurisdictionem. Cum autem Sixtus V. edita Bulla hoc temporale Episcopis Velerens. dominium abrogasset, illud eisdem restituit ad instantiam Alphonsi Gesualdi Gregorius XIV., ut satis liquet ex ejus Bulla sub dat. Romæ 23. Martii 1591. Quod subinde novis Bullis pluries confirmarunt sequentes Pontifices, & novissime ad instantiam Caroli Card. Medicei Innocentius X. amplioribus clausulis sub Dat. Romæ 1. Octobris 1662. = Haec tenus Ughelli Glossator. Illustrissimus Archiepiscopus Borgia in sua erudita Hist. Veleri. sec. 16. refert primordium temporalis hujus jurisdictionis in Episcopo Ostien. & Veleri. ad tempora Pauli II., qui Civitatem Veleri. a Potestate, seu Regimine Pop. Romani postquam exemerit, eam Protectioni, ac provisionali gubernationi

34 *De Episcop. Cardinal Suburbicariis*

nationi sui Episcopi commisit. Porro quod ab initio simplex fuit Protectio, & provisionalis Gubernatio, successu temporis in amplam & stabilem excrevit jurisdictionem pluribus Summorum Pontificum diplomatis, atque Indultis munitam, ut ajebat Ughellii *Glossator*.

Quæres 4. Utrum tales Episcopi habeant integrum Episcopalem Potestatem tam Ordinis, quam Jurisdictionis ordinariæ ac Dioecesanæ in suis respective Episcopatibus?

R. Videtur quod non: 1. quia ipsi, ut docet Card. de Luca de judiciis disc. 47., sunt veluti tot Vicarii particulares Episcopi Romani in Territorio Episcopatus Romani, eodem modo quo intra ipsam Urbem sunt in tribus Patriarchalibus Basilicis Archipresbyteri Cardinales. 2. quia Cardinalis Urbis Vicarius est Judge Ordinarius in talibus Episcopatibus, habet Jus cognoscendi causas in prima Instantia cumulativè cum ipsis Episcopis Suburbicariis, ita ut sit locus præventioni inter Card. Urbis Vicarium, & Ordinarium illius Episcopatus, sicuti etiam idem Vicarius habet Jus cognoscendi causas in gradu recursus, ut appositè expendit Card. Petra ad Constit. 1. Pauli II. unde videntur ejusmodi Episcopi non habere veram & propriam jurisdictionem Episcopalem in spiritualibus. 3. quia S. Linus, & S. Cletus erant quidem Episcopi Romani & Adiutores S. Petri, sed nullam habebant ordinariam jurisdictionem in Urbe Roma, ergo similiter tales Episcopi Soburbicarii sunt quidem etiam ipsi Episcopi Romani, & Coadiutores Pontificis Romæ in parte sui Districtus, sed nullam ibi habent ordinariam jurisdictionem in spiritualibus, ad sumnum delegatam in variis casibus.

Nihilominus contrarium omnino certum est; nam in primis ii verè consecrantur & recipiunt manum impositiōnem juxta ritum à Christo institutum, & quidem non absoluṭe, sed ad titulum suæ respective Ecclesiæ cum qua spirituale

con-

conjugium ineunt , unde non solum habent veram & integrum Ordinis Episcopalis Potestatem , sed sunt etiam verè Episcopi ac Sponsi talis respective Ecclesiæ . Deinde habent sibi à Romano Pontifice assignatos certos subditos , ac certos fines dismembratos , ut ita loquar , à Dioecesi Romana , in quos & intra quos veluti in materiam sibi à Rom. Pontifice applicatam valent exercere potestatem illam activam *jus dicendi* , quam jure divino unusquisque Episcopus accipit in sua Ordinatione , ut docet cum aliis Vasquez in 3. p. tom. 4. disp. 140. num. 41. , & consequenter verè habent jurisdictionem Episcopalem , quamvis in actu secundo non nihil , ut infra dicam , à Rom. Pont. (cujus est actualem jurisdictionem Episcoporum augere vel imminuere ) restrictam & coactatam : Hinc poslunt ipsi sicuti alii Episcopi ex vi Ordinis in sua respective Dioecesi Consecrare Ecclesiæ , conferre Ordines , & Sacramentum Confirmationis , solemniter benedicere &c. ex vi autem *Jurisdictionis* Ferre leges & statuta , cognoscere & decidere omnes causas ad Forum Ecclesiasticum pertinentes , Convocare Synodus , visitare Dioecesim , exigere Procurations in eadem Dioecesis visitatione , & alia pertinentia ad utramque legem dioecesanam & Jurisdictionis .

Neque obstant adducta in contrarium . *Non primum* ex auctoritate Card. de Luca , nam veneror , ut par est , hujus docti Jurisconsulti placitum , sed ejusdem tanti Viri pace dixerim , hac in re ipsum egregie hallucinari ; Absit quippe ut sentiam ejusmodi Episcopos meros esse Vicarios Romani Episcopi , atque eo se modo habere , ac se habent relatè ad suas Basilicas Cardinales respective Archipresbyteri ; etenim exploratum est Archipresbyteros Basilicarum non obligari vinculo de se perpetuo ad curam animarum retinendam , sicut ad hoc obligantur omnes , & etiam hi Suburbicarii Episcopi : deinde iidem constituti sunt à Romano Pontifice per

distributas dioeceses intra districtum Urbis non ut simplices Vicarii, sed ut veri Principes, qui suam singuli dioecesim regant cum dependentia tamen ad supremum Romanum Pontificem. *Non obstat secundum*, nempe, quod Cardinalis Vicarius Urbis sit Iudex ordinarius talium Episcopatum, & aliquam in iis jurisdictionem exerceat; nam, ut opportune adnotavit Em. Card. Petra ad *Const. 1. Pauli II. n. 9.*, Vicarius Urbis non habet totam jurisdictionem ordinariam, & Dioecesanam in ejusmodi Episcopatibus, sed quamdam jurisdictionem ordinariam in certis casibus, nec potest circa alios se intromittere ex motivo, quod Episcopatus sit *intra Districtum*: Deinde Potestas Ordinaria, quam ibi Vicarius Urbis exercet, reservata illi fuit in erectione talium Episcopatum, ut remaneret Urbis Districtus sub Dioecesi Romana in certis casibus in signum antiquæ subjectionis & Prærogativæ Ecclesiæ Romanæ à qua dismembrati fuere ejusmodi Episcopatus; unde probat quidem ea Potestas tales Episcopatus esse sub quadam habituali jurisdictione Episcopi Romani, & esse illic reservata aliqua jura immediata Episcopo Romano in signum antiquæ subjectionis; at nequaquam probat eos non esse *Territorium separatum*, nec qui ibi præsunt Episcopos, non esse veros ac proprios talis Territorii Episcopos constituta sibi Dioecesi ac Territorio ex Dioecesi ac Territorio Episcopi Romani. Vide: *Petra loc. cit. & infra.*

Demum *non obstat tertium* quod addebatur de SS. Lino & Cleto, nam dispar omnino ratio est circa illos duos Episcopos Romanos, & hos Episcopos Suburbicarios pariter Romanos olim nuncupatos; illi quippe duo Episcopi, teste Vasquez de Ord. disp. 241. cap. 1., non fuerant ordinati tanquam proprii Episcopi Romanorum, & tanquam ad propriam Ecclesiam Romanam, siquidem tunc S. Petrus Episcopus Romæ erat, duo autem Episcopi ejusdem Civitatis simul

mul esse non possunt, sed ordinati erant *absolutè* sine *propria Ecclesia* ad hunc tantum finem, ut S. Petro Romæ Coadjutores essent; secus contingit in Suburbicariis Episcopis, qui sunt ordinati *ad titulum* suarum respectivè Ecclesiarum, & consequenter non est mirum si illi solam delegatam, hi verò ordinariam habeant in spiritualibus jurisdictionem.

Quæres 5. Utrum tales Episcopi possint hanc suam in spiritualibus jurisdictionem tam voluntariam quam contentiousam, sicuti & Potestatem Ordinis exercere in ipsa Urbe Roma, ita ut possint ibi conferre sacros Ordines, consecrare calices, ferre excommunicationem: & alia ejusmodi sine speciali Indulto?

R<sup>e</sup>. Rem hanc non leviter tractat Card. de Luca part. prima de Judiciis disc. 47., & quidem ipse olim censuit Episcopos hosce Suburbicarios posse suam Episcopalem tam ordinariam, quam delegatam jurisdictionem quamvis contentiousam exercere in Urbe, propterea quod isti sint Episcopatus annexi Cardinalatui absque onere Residentiæ, unde necessarium videatur eos in ipsa Urbe jurisdictionem exercere: deinde vero ipse se retractavit docens id eos non posse, nisi adfuerit speciale indulsum, quod, ut ipse ait, solet per Papam concedi sub ea lege, ut in causis criminalibus abstineant ab executione, quæ sequi debeat in proprio Territorio. Addit demum non futurum omnino incongruum, si hæc illis potestas exercendæ intra Urbem Jurisdictionis concederetur.

Evidem censeo separandos esse Episcopos Hostiensem, ac Portensem a Reliquis quatuor Episcopis Suburbicariis, quæ facta separatione: dico primo: Episcopum Hostiensem ex indulso præsertim Clementis VIII. habere, ut suam valeat Jurisdictionem exercere in ipsa Urbe, quod aliqua ex parte etiam competit Portuensi saltem ex usu, sed Portuensem nuper

38      *De Episcop. Cardinal. Suburbicariis*  
per cognovi indultum petere consuevit.

Dico secundo alii quatuor Episcopi , si sermo fuerit *de jurisdictione contentiosa*, eam non possunt in Urbe exercere sine expresso , vel tacito consensu Pontificis , ipsarumque partium litigantium : cum tritum illud sit : = *extra Territorium jus dicenti impunè non paretur* = Cap. 2. de constit. in 6. Si autem sermo fuerit *de Jurisdictione voluntaria* eam validè , & plerumque licite in Urbe exercere possunt , dispensando V. G. cum subditis in eorum votis , Juramentis &c. assistendo eorum matrimoniis , absolvendo a Censuris , immò & ferendo Censuram quando ea ferri possit sine strepitu judiciali ac privatim , idest , solum subscribendo sententiam . Ratio est quia voluntaria Jurisdictione cum nullum ordinarium juris processum , neque Judicem pro Tribunal sedentem requirat , ideo nulla injuria Judici infertur , in cuius Dioecesi ejusmodi actus exercentur sicuti docent DD. in L. 2. ff. *de officio Proconsulis* . Quamquam ad vitandum scandalum , & confusione voluntariae Jurisdictionis actus non publicè quasi alienam Jurisdictionem invadendo , sed fermè tantum privatim exercere oportet , sicuti notavit Sanchez lib. 3. de Matrim. disput. 19. Hæc in genere : Deveniendo verò ad casus specificos , & particulares intra limites voluntariae Jurisdictionis .

Advertendum est . 1. legem esse ex Trident. , ut nulli Episcoporum liceat cujusvis privilegii prætextu Pontificalia in alterius Dioecesi exercere , nisi *de Ordinarii loci expressa licentia* , & *in personas eidem Ordinario subjectas tantum* ; & si sic factum fuerit , *Episcopus ab exercitio Pontificalium* , & *ab eo ordinati ab executione ordinum sint ipso jure suspensi*. Advertendum etiam est , secundo , Pontificalium nomine venire actiones proprias Ordinis Episcopalis , ut collationem Ordinum , consecrationes Vasorum , Ecclesiarum , & Virginum , & Crismatis , & Confirmationem , & Benedictionem Vestium &c. ,

rium &c., ita ex Sanchez consil. l. 7. cap. primo dub. 50. Barbosa alleg. 6. n. 5., Thesaurus. V. Episcopus n. 4., alii-que.

His animadversis, fortasse quis opinabitur Episcopos Car-  
dinales Suburbicarios non posse *extra suam Dioecesim*, & *in Urbe* enumeratas actiones, nempe, benedicendi Vestes, consecrandi Calices (de ordinum collatione infra latè dicam) exercere, quin offendant in Tridentinum vetans usum Pon-  
ticalium in aliena Dioecesi sine expressa licentia Ordinarii loci.

Verum ipse in aliam prorsus sententiam iverim, & fuse  
id ostendam *Quæstione duodecima*, ubi agam de Collatione  
Ordinum Minorum, allatæque illie rationes huc sunt revo-  
candæ. Illud nunc satis: Episcopos hosce Suburbicarios non  
solum esse Episcopos, sed simul esse etiam Cardinales, ac pro-  
pterea *ut tales* iis frui Priviligiis, quibus fruuntur Abbates Re-  
gulares habentes usum Pontificalium, de quibus *Barbosa de Off. Ep.* alleg. 3. n. 6.; non enim, inquit Clericatus de Mis-  
sa dec. 42. n. 69., debent *Cardinales esse deterioris conditionis*,  
*quam Abbates*, imo uti optimè docet Card. Brancacci in suo  
erudito Opusc. *de Cappell. Cardinalit.* = Privilegia D. D. Car-  
dinalium, quæ non scripta, sed apud Doctores, & usum,  
traditionemque reperiuntur, & quod est amplius, scientia  
Summorum Pontificum, eorumque tolerantia nituntur, *am-  
plianda sunt usque ad lineam eorum Privilegiorum, quæ Re-  
gularibus concessa sunt*; unde Privilegium quod habent Car-  
dinales utendi Pontificalibus ita amplandum est, ut eò se por-  
rigat, quò se porrigit Privilegium Abbatum Regularium.  
Atqui tales Abbates non obstante Tridentino possunt in suis  
Ecclesiis existentibus in aliena Dioecesi pro suarum Ecclesiarum  
usu Vestes benedicere, calices consecrare &c. ut cum aliis no-  
nat *Barbosa ad Conc. sess. 6.* ergo etiam Presbyteri Car-  
dinales,

40 *De Episcop. Cardinal. Suburbicariis*

les , & præsertim Episcopi poterunt in suis Titulis , vel in suo Sacello domestico , quod Romæ Titulo adhærere jus finit , ex Fagnan. Cap. *Nepro delatione de Pœn. & Remis.* Vestes benedicere , Calices consecrare &c. ad usum suæ Dioœcesis , vel Tituli . Quare &c. De hoc tamen , ut dicebam , iterum sermo erit ex professo , cum de Potestate conferendi Ordines agam .

**Quæres 6.** Utrum tales Episcopi Cardinales Romæ commorantes possint delegare Potestatem benedicendi Vestes , & Paramenta sacra alicui Sacerdoti existenti in sua propria respectivæ Dioœcesi ?

**Rq.** Stando in punto juris videtur id eos non posse quia talis Potestas spectat ad Ordinem Episcopalem ; quæ autem spectant ad Ordinem Episcopalem non potest Episcopus alteri eodem Ordine non insignito delegare , sicuti potest delegare quæ pertinent ad Ordinariam Jurisdictionem : *ex Merati part. 4. tit. 19. num. 23.* ubi allegat *Tabienam V. Abbas, Ugo-linum de Epis. cap. 32., & Praxim. Sac. Rit. Congregationis* , quæ saepius requisita hanc facultatem delegandi induxit aliquando *ad Tempus* , aliquando cum limitatione *ad Personas insigniores* , aliquando *indefinitæ* : Nihilominus attento usu plurium timoratorum Episcoporum , de quo testatur Barufaldus in notis ad Rituale tit. 64. in fine , & attenta doctrina Card. Petra ad Conſt. 6. Urbani IV. tom. 3. n. 38. ubi afferitur Benedictiones hasce in quibus non requiritur unctio , & quæ consistunt solum in certa verborum forma ; non pertinere ad Ordinem Episcopalem *de jure divino* , nec *de jure Canonicoscripto* , sed *de jure canonico* merè consuetudinario , ideoque eas *de sé* referri propriè ad Potestatem Ordinis Sacerdotalis ; censeo Cardinales istos Episcopos Suburbicarios non fore arguendos , si plurium timoratorum Episcoporum usui sese accomodent , & cum ea Potestas benedicendi Vestes sit sim-

simplici Sacerdoti delegabilis, eam ipsi delegent: certè eos plures Doctores excusarent, videlicet. *Quarti de Bened. tit. 1. dub. s. n. 32. 33.*, *Barufaldus loc. cit.*, Pasqualigus quæst. 801., Possevinus de off. curat. c. 2. n. 37. aliisque & ratio esse potest, quia stante multorum usu, qui, teste Barufaldi, jam invaluit, acquisita est ab Episcopis Potestas delegandi talem Facultatem, nam Potestas delegandi ea quæ sunt Ordinis Episcopalis non quidem *ex jure divino*, sed *ex mero jure Ecclesiastico*, præsertim consuetudinario acquiritur per consuetudinem universalem, vel fere universalem, siquidem intervenire tunc censetur consensus Pontificius: *ex Suarez lib. 2. cap. 30. tom. 4. de Relig.* Accedit quòd Episcopi possunt delegare omnia quæ sibi convenient, & non sunt in rigore actus Ordinis. Neque obstant concessiones factæ à Sac. Congregatione, nam illæ procedunt, inquit Pasqualigus, ad petitionem partium, & ex præsupposito illarum, videlicet, ex eo quod illæ præsupponant veram contrariam opinionem. Cœterum securius est, non diffiteor, eam facultatem delegandi à S. Sede exposcere, ut olim se fecisse testatur tom. 9. Append. 2. Eminentissimus Lambertini, nunc SS. D. N. BENED. XIV.

Quæres 7. Utrum tales Episcopi Cardinales possint pro suis Subditis Dimissorias ad Ordines concedere?

R<sup>es</sup>. Potestatem hanc esse illis aliquantulum limitatam; nam Alexander VII. sub die 7. Augusti 1662. decrevit, quod in his sex Episcopatibus Cardinalitiis, ubi tamen non sunt Suffraganei, quicumque promoveri desiderant ad minores, & sacros Ordines, ad Urbem se conferre debeant; cum litteris Dimissorialibus suorum Ordinariorum, Eminentissimo D. Cardinali Urbis Vicario dumtaxat directis, & non aliis Episcopis, atque de ejusdem mandato examinari debeant ab examinatoribus in Urbe deputatis, non paucioribus, quam tribus, in loco solito examinis simul Congregatis, & in ea-

42 *De Episcop. Cardinal. Suburbicariis*

dem Urbe ordinari, præviis exercitiis spiritualibus per decem dies continuos ante susceptionem cuiuslibet sacri Ordinis apud Patres deputatos, nempè Missionis Romæ, ac præviis Publicationibus in Sacrosancta Lateranensi Basilica, & in Ecclesia Parochiali eorumdem promovendorum, intelligas, de iis, qui per aliquod considerabile tempus fuerint in Urbe commorati.

Ubi vetò sunt Suffraganei, scilicet, in Episcopatibus Venerabiliteren., & Sabinen., ordinari quidem possint a dictis Suffraganeis independenter ab Urbis Vicario, intra tamen suas Dioeceses; sed promovendi ad Ordines sacros peragere debeant exercitia spiritualia in domo Missionis Urbis sub poena suspensionis, quoad Suffraganeos in utroque casu contra facientes *ab exercitio Pontificalium per annum*, quoad promotores verò, tam ab eisdem Suffraganeis, quam etiam in Urbe *ab executione Ordinum*.

Et si contingat quemlibet tam ex quatuor Episcopatibus, ubi non sunt Suffraganei, quam ex duobus ubi sunt, ordinari intra vel extra Urbem respectivè, non servata forma in dicta Alexandrina Constitutione præscripta, Suffraganei incurvant, ut supra, ipso facto suspensionem ab exercitio Ordinum per annum; promoti verò tam ab eisdem Suffraganeis, quam etiam in Urbe ab exercitio Ordinum susceptorum, donec Romano Pontifici visum fuerit, eidem reservatam.

Quare ex dictis compertum est non posse hos Cardinales Episcopos Dimissorias pro ordinandis suis Subditis ad alium Episcopum dirigere, quam ad Vicarium Urbis: *ex cit. Const. Alexandrin.*

Quæres 8. Utrum à lege citatæ Const. Alexandrinæ in omnibus verè comprehendantur etiam Episcopi Ostien., & Sabinen., qui habent Suffraganeos, vel potius de iis nihil disponatur relatè ad dandas Dimissorias, easque dirigendas dumtaxat ad Vicarium Urbis?

B. Vi-

R. Videtur, quod de iis nihil disponatur, etenim Alexandrina Constitutio sic loquitur = denique in sex Episcopatibus propè Urbem, in quibus non sunt Suffraganei, quicumque ad minores, vel sacros Ordines volent promoveri cum litteris Dimissoriis sui Ordinarii ad memoratum Vicarium, & non ad alium Antiflitem directis, ad Urbem accedant, ibique & non alibi ordinentur, servata in omnibus forma superius prescripta. Ubi verò sunt Suffraganei, nemo ad aliquem ex majoribus Ordinibus assumatur, nisi prius præter ea, quæ a sacris Canonicis, & ejusdem Concilii decretis sancta sunt, ad minus per decem dies a d.d. Sacerdotibus in Urbe deputatis in eorum Adibus inclusus, ut supra, fuerit eruditus, ac litteras Testimoniales eorumdem Sacerdotum ad ipsum Suffraganeum detulerit = Hactenus Constitutio Alexandrina; ubi de illis Episcopis, qui habent Suffraganeum, ac de eorum respective Episcopatibus, nihil aliud disponitur specialiter, nisi quod promovendi ad Ordines Majores vident in Urbe exercitiis per decem dies apud Sacerdotes deputatos, & ferant litteras Testimoniales eorumdem ad ipsum Suffraganeum: Quarè non est aliud onus imponendum sive illis Episcopis, sive promovendis ex illis Episcopatibus ad Ordines, ac propterea Episcopi habentes Suffraganeos poterunt dare Dimissorias suis Subditis ad quemcumque Episcopum Catholicum; siquidem melior est conditio possidentis in re dubia, & interpretatio legis contra eum facienda est, qui legem potuit dicere apertius, ex cap. Contra eum de Regulis Juris in 6. imò juxta sententiam Celsi Juris-Consulti, quidquid obstringenda obligationis est, id nisi palam verbis exprimatur, omissum intelligendum est, ex lege 99. ff. de Verborum obligatione.

Nihilominus cum rem diligenter perpenderim nolui meo judicio fidere, sed peritissimum in his materiis Virum consului, qui litteris ad me datis, quasque ipsas hic subnectam,

sic respondit = Quanto al dubbio , se i Cardinali Vescovi Suburbicarij , i quali hanno il Suffraganeo sieno tenuti ex vi della Bolla Alessandrina dirigere le Dimissorie al solo Vicario di Roma , oppure possano dirigerle ad altri , sono di parere , che necessariamente debbano dirigerle al Vicario di Roma , ne possino dirigerle ad altri Vescovi , poiche i Sudditi di tali Vescovati in tanto vengono esentati d'essere promossi agl' Ordini dall' Eminentissimo Vicario , in quanto che hanno il comodo de Suffraganei a ciò destinati , in tal maniera che da questi soli possano essere ordinati , e non da altro Vescovo , poiche legendosi nella citata Constitutione al §. *denique* le seguenti parole = *promoti vero , tam ab eisdem Suffraganeis quam etiam in Urbe non servata forma praesentis Constitutionis , ab exercitio Ordinum sic susceptorum . . . . ipso jure sint suspensi* = si fa chiaro che se potessero essere ordinati da altro Vescovo , *non servata forma* &c. vi si leggerebbe ancora l'altra clausola = *promoti tam ab eisdem Suffraganeis , quam ab alio quocumque Antistite* . In oltre siccome si dichiara sospeso dall'esercizio de Pontificali per un anno il Suffraganeo ordinante *non servata forma* &c. così si dichiarerebbe anche il Vescovo , a cui fossero dirette le Dimissorie , se ordinasse *non servata forma* &c.

Questa intelligenza oltre l'essere chiarissima , viene anche firmata dalla costante , ed inconcussa osservanza praticata sin dal tempo , in cui emanò la detta Costituzione come dai Reggistri esistenti in Segretaria del Tribunale dell' Eminentissimo Vicario apparisce , quale osservanza così incominciata , e continuata sino al presente , è attissima secondo i principj legali a dichiarare la vera intelligenza della medesima Costituzione , ancorche fosse oscura , ed ambigua = equidem assentior Viro clarissimo , & in ejusmodi materiis peritissimo D. Romualdo Honorante , at non ita , ut rem decisam omnino pute m .

Quæ-

Quæres 9. An ejusmodi Episcopi Cardinales possint dimissorias dare pro prima Tonsura ad quemcumque Episcopum Catholicum?

Rq. Affirmativè; nam in Constitutione Alexandrina cum nulla fiat mentio de prima Tonsura, non est cur Subditi ejuscumque ex his Episcopatibus nequeant ea initiari cum litteris dimissorialibus suorum Episcoporum à quocumque Antistite, etiam extra Dioecesim, ut resolvit *Sacra Congregatio in Albaen. sub die 16. Februarii 1704.*

Quæres 10. An iidem Cardinales Episcopi etiam ex illis quatuor Suffraganeo carentibus possint absque ullo indulto suos Subditos promovere ad Ordines, tam Minores, quam Sacros, si intra limites eorumdem Episcopatum Ordinationes instituant?

Rq. Affirmativè; nam præter præmissum; ita in terminis resolvit Sacra Concilii Congregatio in Tusculana Ordinationis, sub diebus 29. Januarii, & 28. Maji anni 1695., & firmat etiam Eminentissimus Petra in Comment. ad Constat. 7. Pii II. n. 79. quia licet Alexandrina Constitutio statuat promovendos ex dictis quatuor Episcopatibus, dirigi debere ad Urbis Vicarium, ac Romæ, & non alibi ordinari, intelligendum id tamen est in ea tantum hypothesi, qua ipsi Cardinales Episcopi Ordinationes non habeant, cum tunc ob carentiam etiam Suffraganei, opus sit aliò eos dirigere, in quo casu, directio restricta est ad Urbis Vicarium.

Quæres 11. An iidem possint id peragere, non solum cum per se ipsos Ordinationes instituant, sed etiam quando eas faciunt per quemcumque alium Antistitem Catholicum intrá tamen terminos suorum Episcopatum?

Rq. Affirmativè, nam quilibet ex his Episcopis Cardinalibus potest Suffraganeum in suo Episcopatu, vel perpetuo, vel ad tempus deputare, cum hoc solo discrimine, quod Vener-

liternen: , & Sabinen: ob amplitudinem Dioecesis , & animarum numerum arētentur ad Suffraganeos habendos, ut infrā dicemus , Reliqui verò ex sex Episcopis possint , sed non teneantur eos habere: jam verò si quilibet ex his committat Antistiti Catholico Ordinationem peragendam in sua Dioecesi , constituit ad tempus talem Episcopum in sui Suffraganeum , & consequenter non impeditar ab Alexandrina Constitutione , quominus per istum suos Subditos ad Minorēs , & Sacros Ordines in sua Dioecesi promoveat . Addas ita etiam resolutum fuisse à Sacra Congregatione Concilii in antedicta Tusculana Ordinationis ; postquam enim in prima propositione habita sub die 29. Januarii responderit = potuisse tamen Eminentissimum Episcopum impetriri licentiam ordinandi Oratorem al eri Episcopo in sua Dioecesi , servata in Reliquis Constitutione Alexandrina = in secunda propositione sub die 28. Maij , ad primum dubium sic Reformatum = an Orator possit licite Ordinari etiam ad Sacros Ordines in Civitate Tusculi a Suffraganeo Viciternen: de licentia Eminentissimi Episcopi Tusculani? Respondit: affirmativè . Animadverendum tamen , quod promovendi ab ipsifmet Cardinalibus Episcopis , vel de eorum licentia ab alio Antistite intra limites dd. Episcopatum , tenentur servare respectivè Constitutionem Alexandrinam quoad exercitia spiritualia decem die rum in Domo Missionis Urbis, ut constat ex supradicta Resolutione Sacrae Congregationis .

Quæres 12. An iidem Episcopi possint immediate per se ipsos Ordines Minores conferre suis Subditis in proprio Palatio Romæ existente?

Ré. Videtur quod non i. quia Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 5. de Reformat. statuit ne ulli Episcopo liceat cuiusvis Privilegii prætextu Pontificalia in alterius Dioecesi exercere nisi de Ordinarii loci expressa licentia , & in Personis eiusdem

dem Ordinario subjectis tantum , si secus factum fuerit Episcopus ab exercitio Pontificalium , & sic Ordinati ab executione Ordinum sint ipso jure suspensi = unde infert laudatus Vir Clariss. D. Romualdus Honorante neminem ex Subditis horum sex Episcopatuum neque ab ipsomet Episcopo Cardinali ordinari posse in Urbe absque Vicarii licentia , quam tamen is impetriri non poterit , nisi reliqua omnia , quæ ab Alexandrina Constitutione præscribuntur , omnino præmittantur .

II. Quia si ipsi possent minores Ordines suis Subditis conferre in proprio Palatio Romæ existente , possent etiam conferre Ordines sacros , cum sint verè Episcopi , nec appareat discrimen cur unum possint , & non aliud , etenim semel concesso quod extra suam Dioecesim Ordines conferre valeant , nihil causæ est ut ab Ordinum sacrorum Collatione abstinere debeant .

III. Quia ejusmodi Episcopi Cardinales non solent hanc sibi potestatem arrogare , nec haec tenus , quod sciam , ea potestate usi sunt ; hunc autem non usum censet Card. de Luca de Jurisd. disc. 34. derivari ex eo = *Quia forte idem Papa non tanquam Episcopus Urbis , sed tanquam Papa pro meliori regimine ad evitandam tantam jurisdictionum scissuram , & varietatem ita velit =*

Nihilominus . Supponendum est : primò : Cardinales non solum Episcopos , sed alios etiam posse in suis respectivè Titulis Romæ existentibus ea quæ possunt Prælati habentes jurisdictionem propriè Episcopalem , vel quasi Episcopalem cum Territorio separato , sive ea quæ possunt Prælati illi , qui licet non habeant Territorium separatum , habent tamen Ecclesiam seu ambitum ex suo nativo statu obtinentem jura Episcopalia , & consequenter constituentem intra suos fines Territorium omnino separatum à reliqua Dioecesi juxta casum

*Al-*

*Almae Domus Lauretanæ*, ut recte expendit Eminentissimus Petra, ac propterea docuit pluribus allegatis Fagnanus Cap. *Ne pro dilatione.* de Pœn., & Remiss., Cardinales in suis Titulis, & in Ecclesiis quæ suis Titulis sunt subjectæ facultatem habere corrigendi. censuras ferendi, & cœtera faciendo, quæ sunt jurisdictionis Episcopalis ex cap. His quæ: *de major.* & *Obed.*, unde, ait, in iis Titulis ipsi conserunt ( si tamen fuerint Sacerdotes) minores Ordines, utuntur Episcopibus insigniis, & benedicunt solemniter &c. Idem fusius, ac latius ostendit Eminentissimus Albizi in suo Opusculo de Jureisd. Card. in suis Titulis, & præsertim num. 71. , aliique.

Supponendum est: secundo: Palatum Cardinalium Romæ existens per fictionem juris censeri adhærere Titulo Cardinalitio, & ejusdem Palatii Cappellam esse quasi Ecclesiam Titulo subjectam, ut collig. ex Card. Brancacci, *Petra*, *aliisque*, unde est quod Domestici Cardinalium præcepto annuae Communionis in propria Parochia, satisfaciunt communicantes in eadem Cappella.

His suppositis. Censeo hos sex Cardinales Episcopos posse in propria Cappella intra fines sui Palatii Romæ existentis, & non extra, conferre suis Subditis primam Tonsuram & Ordines minores. Ratio est quia ex dictis possunt Cardinales quicumque, dummodo sint Sacerdotes, primam Tonsuram & minores Ordines conferre in suis respective Titulis, atque Ecclesiis Titulo subjectis; quod pluribus confirmatur ab Hosten. , & Joan. Andrea in Cap. 1. de supplend. neglig. Prælat., à Lezana in Summa V. Cardinalis num. 5., Diana p. 8. tr. 1. resol. 33., Card. Albizi in cit. Opusc. num. 69., Rota decis. 751. num. 10. part. 1. divers. Atqui Palatum Romæ existens talium sex Episcoporum, qui Romæ Residentiam habent, per fictionem juris censetur adhærere suo Titulo, nempe, suo Episcopatu qui est eorum Titulus,

&amp;

& Cappella ibidem existens intra fines talis Palatii, est veluti Ecclesia subiecta tali Titulo; ergo ejusmodi sex Episcopi possunt in suo Palatio Romæ existente, atque in ipsius Palatii Sacello primam Tonsuram, & minores Ordines suis Subditis conferre: Quod quamplurimi auctores scribentes post Tridentinum aperte confirmarunt etiam respectu Presbyterorum Cardinalium, ut videre est apud Fornarium de Sacr. Ord. cap. 5., Azor tom. 2. lib. 4. cap. 3. q. 2., Barbosam in Conc. sess. 23. cap. 9., & de Potest. Episcopi p. 2. alleg. 5. n. 19.

Neque obstant adducta in contrarium. Non primum, nempe, Lex Tridentini vetans usum Pontificalium in aliena Dioecesi sine licentia Ordinarii, nam intelligenda ea est ne quisquam exerceat Pontificalia extra suam Ecclesiam, seu ambitum ex suo nativo statu obtinentem jura Episcopalia (ut patet in Abbatibus iis Regularibus qui in suis Ecclesiis & Monasteriis Pontificalia exercent, quamvis illæ Ecclesiæ existant in aliena Dioecesi ac Territorio); quæ quidem Abbatum Potestas non solum non est à Concilio Tridentino revocata, sed etiam videtur expresse confirmata, siquidem in sess. 23. cap. 10. de Reform. Præcipitur Abbatibus, & aliis quibuscumque exemptis intra fines alicujus Dioecesis existentibus, nulli, nisi Subdito Regulari primam Tonsuram, & minores Ordines conferant. Concedit igitur (infert apposite Diana p. 8. tr. 1. resol. 33.) aut permittit, ut hi antiquo Privilegio utentes, in alterius Dioecesi intra fines sui Monasterii, Pontificalia exerceant, & suis Subditis minores Ordines conferant.

Non obstat secundum: Nam apparet discrimen, quare tales Episcopi possint in suo Palatio, ipsorumq. Sacello conferre Ordines Minores, non autem sacros & maiores; siquidem minores Ordines conferri possunt non solum in Ecclesia, sed etiam in domo Episcopali, & in quovis alio loco honesto, ut

50 *De Episcop. Cardinal. Suburbicariis*

colligitur ex Can. quando 6. dist. 75. De Ordinibus autem majoribus Trident. Sess. 23. cap. 8. sic loquitur = *Ordinationes Sacrorum Ordinum statutis à jure temporibus, ac in Cathedrali Ecclesia, vocatis præsentibus ad id Ecclesiæ Canonis, publicè celebrentur: Si autem in alio Diœcesis loco, præsentie Clero loci, dignior quantum fieri poterit, Ecclesia semper audeatur = unde ex hoc Tridentini præcepto satis liquet, cur isti Episcopi valeant in suo Palatio Romano minores Ordines conferre, non verò Majores . Neque replices quod eo stante præcepto, adhuc nonnulli Episcopi in suo Palatio Episcopali majores Ordines conferant; nam id ipsi faciunt ex rationabili causa ac sufficiente ut illud Tridentini Præceptum sive obligans sub gravi , sive , ut docent quamplures , obligans dumtaxat sub veniali , hic & nunc per accidens eos non afficiat ; in qua hypotesi etiam hi Cardinales idem possent.*

Non obstat tertium , scilicet , *non usus* talis potestatis apud Cardinales istos Episcopos ; nam exploratum non est tam non usum procedere ex Necessitate , aut ex Voluntate Summi Pontificis , ut suspicatur Card. de Luca , sed potius , ut insinuat Card. Albizi de Tit. Card. num. 73. , id procedit ex quadam honestate , seu propterea quod hæc eorum Poteftas in considerationem ipsis non venerit . Accedit quod Non usus , res est facti , de quo mihi non satis constat , & fortasse nec conflat aliis , nisi ipsis D. D. Cardinalibus .

Quæres 13. Utrum hi sex Episcopi Cardinales possint legere libros prohibitos ?

Rq. Videtur quod non : Nam Cardinales etiam comprehenduntur prohibitione librorum quæ est in Can. 1. Bullæ Cœnæ , ejusque censura ligantur , ut quamplures D. D. communiter docent , ac præcipue Ugolinus de cens. p. 2. in Glossi , Farinaccius q. 180. n. 11. Suarez disp. 21. de Cens. se. t. 2. n. 26. , Carena , Albizi , aliquique unde Card. de Lugo de Fide

de disp. 21. sect. 2. ajebat = Certum est Omnes præter Summum Pontificem ligari hac Censura , cum illi solum excipiantur in Bulla , qui facultatem à Sede Apostolica habent , quæ exceptio omnes alios excludit , quicumque illi sint = iidem ea etiam librorum prohibitione comprehenduntur , quæ extat in Indice librorum prohibitorum , sive prohibiti sint in prima , sive in secunda , sive in tertia Classe . Ratio est , quia ex Fagnano Cap. Ne pro dilatione de Pœn. & Remiss. num. 58. In his quæ concernunt salutem animæ , Cardinalis non differt à quolibet populari , ac propterea iis legibus comprehenditur , quæ ad salutem animæ pertinent . Neque refert assertio Ioan. Monachi in Cap. 1. n. 1. de Schism. in 6. ubi docet Cardinales , cum ob dignitatis prærogativam , qua coeteris præstant , sint speciali nota digni , in clausulis generalibus non comprehendendi , nisi specialiter exprimantur ; nam in primis si hoc subsisteret , inquit Felinus apud Fagnanum loc. cit. ; sequeretur ut fere nulla Lex canonica ligaret Cardinales , cum rarissime de illis fiat mentio , quod sane esset maximè absurdum : deinde ea Ioan. Monach. doctrina teste Sarnen. aliisque apud Fagnanum non procedit , ut ajebam , quando lex seu dispositio respicit favorem publicum , & animæ utilitatem , vel periculum , quia tunc complectitur etiam Cardinales , secus quando sermo est de aliis legibus , & Constitutionibus , ut observavit Card. Albizi cap. 32. num. 45. , & hæc videtur communis resolutio : idem in Casu de Prohibitione librorum confirmatur ex eo quod Clemens IX. , uti testatur Card. Albizi de Inconst. cap. 30. , indulserit Cardinalibus Supremis Inquisitoribus , ut libros prohibitos cujuscumque generis sint , legere possint , unde primum est colligere eos ratione Cardinalatus non eximi à lege prohibitiva librorum . Quare &c.

Nihilominus respectu horum sex Episcoporum Cardinalium limitanda aliquatenus est sententia negans ipsis Pote-

statem legendi libros prohibitos; nam cum hi sint veri Episcopi habentes Clerum & Populum Christianum, atque idcirco ad ipsos spectet noscere quæ sint bona pascua, & quæ noxia, ut possint pascere Gregem sibi ereditum; existimari cum Card. Albizi cap. 30. n. 204., *speculativè, & per se loquendo* eos posse legere libros prohibitos *pro necessitate, & tempore*; siquidem supposito Episcopatu cum actuali cura animalium; habent ipsi ex jure naturali & ratione muneris Potestatem ad ea quæ *pro tempore* fuerint *necessaria* ad hoc, ut granum excutiant à palea, ut zizanium separent à frumento, ut errores damnent &c., & quamvis per varias Constitutiones Pontificum ipsis etiam sint ademptæ omnes licentiae ac Privilegia relatè ad talem lectionem quæ olim habebant à Sede Apostolica, non tamen idcirco adempta est ea Potestas quæ supposito Episcopatu de jure naturali & ratione mutieris in ipsos dimanat. Confirmatur id ipsum ex Concilio Carthaginensi IV. ubi statuitur Episcopum debere legere libros Hæreticorum pro necessitate, & tempore: sic enim ibi Can. 16. habetur = *Episcopus Gentilium libros non legat, Hæreticorum autem pro necessitate, & tempore =*

Dixi: *Speculativè, & per se loquendo*: nam secus putarim præticè loquendo: Etenim cum in his sex Episcopatibus prope Urbem raro occurrat, Deo dante, ejusmodi necessitas legendi libros Hæreticorum, & si forte occurrat, facilis atque expeditus sit recursus ad Sanctam Sedem pro opportuna licentia, non videtur præticè posse ad usum redigi talis Potestas, sed procurandam esse licentiam à S. Sede; nam ut in simili observat Suarez de Sacr. disp. 81. sect. 3. *in casu necessitatis non est prætermittenda legitimi Superioris facultas, si petiti possit; si autem non possit, tunc sufficit sola necessitas.* Præsertim cum ipsimet Germaniæ Episcopi, teste Reiffenstuel p. 3. tit. 6. num. 56., quamvis inter vicinos hæreticos sint, ejus-

mo-

modi licentiam à Summo Pontifice postulent, eamque specialiter sibi concessam ordinariè habeant.

Quæres 14. Utrum hi sex Cardinales Episcopi, Romæ residentes possint ibidem sibi eligere Confessarium non approbatum ab Ordinario Romano?

R. Negativam olim sententiam docui in meo Opusculo de Cardinalibus, quod inter alia Romæ à me edita opuscula, est numero primum, ductus ex novissima Constitutione Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI XIV. quæ incipit *Apostolica Indulta &c.* super qua ita argumentabat = Hæc Constitutio decernit Approbationem Confessarii eligendi ab omnibus & singulis Personis Privilegiatis sive ex Bulla Cruciatæ, sive ex Iubilœo, sive ex speciali indulto concessu aliqui Coetui, & Congregationi; debere esse Episcopi Dioecesani loci; Atqui Indultum speciale concessum Episcopis & Cardinalibus quoad electionem Confessarii, est Indultum speciale concessum uni Coetui, & tam Episcopi quam Cardinales sunt Personæ privilegiatae ex speciali indulto concessu Coetui Episcoporum & Cardinalium, ergo respectu etiam istorum Approbatio Confessarii eligendi debet esse Episcopi Dioecesani loci = Sic inquam argumentabat.

Verum deprehendi me egregiè hallucinatum esse; nam ex authentico, & fide dignissimo testimonio intellexi Mentem Sanctissimi, etiam de scripto expressam fuisse, ut præservaletur Privilegium Episcoporum, & Cardinalium, nec quidquam per eam Constitutionem illis detraheretur. Immo Illustrissimus Archiepiscopus Tria in suis eruditis adnotationibus ad Opusculum P. Platti de Cardin. me amicè arguit, & contrarium docet.

Quare dicendum est cum Fagnano in Cap. ne pro dilatiorie &c. de Pæn., & Remiss. num. 66. omnes Cardinales ac præsertim sex hos Episcopos posse etiam Romæ sibi eligere in

in Confessarium quemcumque Sacerdotem semel vel pluries approbatum ab aliquo Ordinario , etiamsi non fuerit approbatus ab Ordinario Urbis , seu loci in quo ipsi sint . Immo si ipsi existant in suo Titulo , aut in sua Legatione , aut etiam in suo Palatio ( quod Romæ Titulo adhærere jus fingit ) poterunt ipsum approbare Sacerdotes , vel sibi Subditos in quos habent *quasi Episcopalem* jurisdictionem , *aut Episcopalem* , vel alios etiam dummodo idoneos , & apud illos ibi confiteri , ut dicebam in citato meo Opusculo . Vid . *Illustissimum Archiep. Tria loc. cit.*

**Quæres 15.** Utrum allii præter Domesticos , & Familiares horum sex , vel aliorum etiam Cardinalium , audientes die Festo Missam in Cappella Palatii ipsorum Romæ , vel alibi existentis , satisfaciant Præcepto Ecclesiastico de audiendo Sacro ?

**R.** Quæstionem hanc nunquam proposuisssem , utpote quæ propriè , ac peculiariter non spectet ad hos sex Cardinales , sed ad alios omnes ; imo & ad nonnullos Prelatos in Rom. Curia specialiter Privilegiatos , de quibus lucupletissime tum Card. Brancacci in suo celebri Tractatu de Cappella Cardinalitia , tum alii quamplures solidè scripserunt : Nihilominus visum est eam hic proponere , ut difficultates nonnullas diluerem , quas à Viro Clarissimo , & pereruditio hac super re nuper excitatas legi , & quæ meam possent in Opere de Protonotariis editam doctrinam non leviter labefactare .

Docet hic quippe Scriptor Clariss. Ad satisfaciendum Præcepto de audiendo Missam in die festo necesse esse *de jure communis* , ut ea audiatur in *Ecclesia* , seu in loco Cultui divino permanenter destinato , unde deducit Privilegium alicui concessum Oratorii domestici , vel Altaris portatilis suffragari illi quidem , & aliis in Privilegio expressis in ordine ad satisfaciendum Præcepto per auditionem Missæ vel celebratiōnem

nem in tali Oratorio , seu Altari portatili , at nequaquam suffragari extraneis , & non expressis in Privilegio . Quia porro videbat sibi obstare Exemplum Oratorii Episcopalis , vel Altaris portatilis , in quo celebret Episcopus , siquidem omnes tam Familiares quam Extranei Missam ibidem celebratam audientes , sine controversia Præcepto satisfaciunt , ipse sub-jungit disparitatem esse , quia audientes Missam in Oratorio Episcopi , qui est Caput Dioecesis , & coram illo qui est Pastor celebrante in Altari portatili , quamvis non audiant in Ecclesia , audiunt tamen *publico modo* , & exhibent Deo *cultum publicum* , prout exigit Jus commune ; secus vero contin-  
git , quando auditur Missa in alterius Oratorio doméstico , vel alio Sacerdote celebrante in Altari portatili ; tunc enim nisi quis fuerit expressè privilegiatus , non audit *publico modo* , & consequenter non satisfacit Præcepto .

Deinde negat prorsus valere hanc illationem = *Nulla est Lex , vel Clausula in Privilegio prohibens ab hoc , vel illo satisficeri Præcepto per Missam in hoc , vel illo loco auditam , ergo quisquis Missam audit in hoc , vel illo loco , satisfacit Præcepto* = Negat , inquam , valere hanc illationem , ac proinde exigit expressum & positivum Privilegium , ut quis Missam audiens extra Ecclesiam , satisfaciat Præcepto .

Hæc omnia nititur probare tum allegatis aliquorum Canonum textibus , qui aliò planè collimant , tum auctoritate Pasqualigi , quem sèpius citat , tum in medium allatis aliquarum Oratorii concessionum formulis .

Verùm pace tanti Viri , quem summoperè veneror , longe aliter prorsus rem se habere existimarim : Nam si allatis hisce argumentis vis aliqua ineslet , consequens fieret , ut nec audientes Missam in Cappella vel Altari portatili Episcopi *extra ipsum Dioecesim* , nec audientes in Cappella Cardinalium , nec audientes in Cappella intra Domos Regularium , vel Mis-  
sio-

## 56 De Episcop. Cardinal. Suburbicariis

sionariorum privilegiatorum satisfacerent præcepto de audiēdo Sacro in die festo , etenim non audirent *in Ecclesia* , vel in loco destinato Cultui divino *permanenter* , non audirent *co-ram eo qui est Caput illius Dioecesis* , non audirent in loco , cui expressè a Pontifice datum sit , ut ibi Missam audientes Præcepto satisfaciant . Hoc autem communiter negatur , ut infra ostendam , quandoquidem Cappella Episcopi etiam extra Dioecesim , Cappella Cardinalium , Regulatium &c. dicitur *Cappella publica* ad differentiam domesticorum Oratoriū , ut recte expendit Card. Petra ad Conſt. 2. Pauli II. num. 91. , & 96.

Quare censeo in primis allata argumenta nullius , vel certè levis esse ponderis . Etenim ad primum quod attinet , unumquemque , scilicet , *ex jure communi obligari ad audi-tionem Missæ pro die festo in Ecclesia* , seu loco Dei cultui *permanenter* destinato , id omnino gratis affleritur ; nam eximiū Doctor Suarez tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 1. contrarium sic firmat & probat : *Dico primò: Nullum est Præcep-tum speciale colendi Deum in tali loco* , scilicet , *in Ecclesia* , *vel Templo* , *nisi quatenus alio aliqua divini cultus legitimè ex exerceri non potest extra talem locum* . Si hæc conclusio intelligatur , stando in naturali jure , est manifesta , quia jus natu-ræ , non determinat certum modum cultus externi dandi Deo , ut supra est ostensum : Ergo nec circumstantiam loci determi-nat . Et huc spectat illud Joannis 4. Spiritus est Deus , & in Spiritu , & Veritate debet adorari , ideoque ex se non deter-minat locum , quia ubique est , omnia prospicit , licet ex par-te nostra , id est ejus , qui colit , vel eorum , coram quibus col-it , prudentem circumspectionem requirat , ut locus sit aptus , & sine impedimento . Si verò intelligatur conclusio de jure po-sitivo , ut præcipue intelligenda est , sic declaratur , primò in præcepto audiendi Missam , quod ferè est unicum de cultu exter-

*no datum omnibus fidelibus. Illud ergo præceptum de se non obligat ad dandum illum cultum Deo in Ecclesia, seu Templo, quia hoc non ponitur in verbis, & forma præcepti; jubemur enim audire Missam in Dominicis, & diebus festis, non verò in Ecclesiis, vel Templis. Sed hoc aliundè necessarium est, quia Ecclesia aliis præcipit Missas non dici extrà Ecclesiam juxta modum declaratum, & traditum in disput. 81. sedl. 4.*

*Vnde quacumque ratione cesseret hæc necessitas, quia contingat invenire Missam extrà Ecclesiam, ut in privato Oratorio, vel in campo, sub dio, vel Tentorio, illam ibi audiendo (intelligas per se loquendo) impletur præceptum audiendi Missam, quamvis in Ecclesia non audiatur = Haecenùs Suarez, cuius doctrina, ut liquidò constat, limitanda est, nisi expressè contrarium disponatur, ut contingit in domesticis privatis Oratoriis. Suffragatur cum aliis eximio Doctori Eminentissimus Card. Brancacci in cit. tract. de Cap. Card. ubi sic ait = *Hic favet sententiæ præcipua animadversio, scilicet, Constitutio- nem Ecclesiasticam de Missa audienda in festis de præcepto ex dispositione Cap. si quis etiam &c. de Consec. dist. prima, can. omnes fideles, & can. Missas ead. dist. Cap. conquestus de Feriis, & in actis Martyrum Africæ de quibus Baronius ad annum 303. num 48.: non arctare fideles ut in tali, vel tali loco illi assistant, si expressè contrarium non disponatur, ut advertunt Azorius, & Molsesius cum aliis, sed simpliciter, ubi ritè celebatur.**

Præiverat Card. Brancaccio, Card. Toletus qui in summa libro 6. cap. 7. expressè sic docuerat = *Satisfit enim præcepto de audienda Missa quamvis Domi. & extra Ecclesiam audiatur, aut in Ecclesia audiatur aliena, ut dicit Sylvester verbo Missa qu. 2. §. 5., & Tabien verbo Missa §. 51. = Quare non video, quid sibi velit prælaudatus Auctor, cum auditionem Missæ de jure Communis in Ecclesia faciendam esse contendat. Dein-*

de, quod prælaudatus Auctor supponat, ut satisfiat Præcepto de Audienda Missa, hanc audiendam esse *publico modo*, atque idcirco putet satisfieri per Missam auditam in Cappella Episcopi Dioecesani, quia audiens coram Episcopo Capite illius Dioecesis, censetur audire *publico modo*. Omnino negandum est tale suppositum, non enim ex vi Præcepti de audiendo Sacro tenentur Fideles *publico modo*, *vel privato illud audire*, sed quantum est *ex parte modi* duo dumtaxat requirunt Doctores communiter ad satisfaciendum huic Præcepto, alterum pertinet ad exteriorem actionem, & consistit in hoc quod quis secundum moralem & corporalem præsentiam Missæ assistat, alterum spectat ad interiorem dispositionem animi, eaque stat in hoc quod quis intendat Missam audire, & attendat saltem virtualiter & confuso modo: ita Suarez disp. 88. de Sac. sect. 3., Toletus lib. 6. cap. 6., Castropalaus tr. 12. p. 16. testans se loqui ex sensu omnium Doctorum, unde S. Antoninus 2. p. tit. 9. cap. 10. §. 2. docuit *Audire Missam*, (& quidem quoad satisfaciendum præcepto tum ex parte materiae seu objecti, tum *ex parte modi*) consistere in eo, quod quis sit *Præsens Missæ*, & vacet *Deo*, Sylvester V. Missa 2. q. 6., quod quis *corpore adsit*, & *mente attendat*. Quamobrem talis suppositio non subsistit, nec vim ullam habet.

Ad ultimum ubi citatus Auctor negat valere hanc illationem = Nulla est lex vetans satisfieri Præcepto de audienda Missa per auditionem factam in tali loco, ergo satisfacit Missam audiens in tali vel tali loco = ubi, inquam, id ipse negat, & consequenter exigit positivam concessionem satisfaciendi Præcepto per Missam auditam in tali, vel tali loco, optimè jam olim reposuit Eminentissimus Card. Brancacci in Opusc. de Cappel. Card. §. *tum & secundo*; cuius ipse verba exscribam: Statuerat quippe doctus hic Cardinalis Exteros etiam, ne dum Familiares, & Domesticos satisfacere Præcepto audientes.

tes Missam in Cappella Cardinalitia , & id probaverat ex eo quod Cappella Cardinalitia sit ad instar Ecclesiæ , deinde hanc secundam rationem subjungit = *Tum & secundò* , quia hoc prohibitum non reperitur , & cum non sit de natura prohibitorum , quia mala , videtur concessum : Cap. i. de Procur. in 6. ; l. i. ff. eodem , L. quod non §. quod eis ff. quibus cau. major cum similibus , in quibus concessum intelligitur , quod expressè non prohibetur . Cap. si non licet 23. q. 5. , Cap. Inter corporalia de Traslat. Episc., ubi *Glossa* in verbo non invenitur : & è contra , quando Pontifex id veritum voluit , expressù , ut in concessionibus pro privatis Oratoriis , in quibus aperte cavitur , ut tantum pro domesticis deserviant , neque exteri ibidem se Præcepto Ecclesiæ emolvere possint , si aderunt , ut ait Quaranta = Hactenus Eminent. Brancacci qui probè intellexerat valere hanc illationem = In Privilegio absolute , & indefinitè concessò non prohibetur extraneis satisfacere præcepto Missæ per ejus auditionem in tali loco , ergo per auditio nem in tali loco ab extraneis præcepto Missæ satisfit =

Nec refert , esse aliqua Privilegia specialiter concessa per Constitutiones Apostolicas alicui Cætui Prælatorum , quæ licet careant præfata expressa prohibitione , habent tamen hanc clausulam = *in illorum & Domesticorum , & Familiarum suorum præsentia &c.* = unde videtur Pontifex restringere potestatem satisfaciendi præcepto ad solos domesticos , & Familiares , præsertim cum Pontifex quando vult Missam celebratam in uno loco prodesse ad effectum satisfaciendi præcepto omnibus interessentibus , id ipse exprimat , prout constat ex Brevi Altaris portatilis concessò à Paulo V. Magno Magistro Hierosolymitanæ Militiæ , in quo adhibetur hæc Clauſula = *In Tui , ac Familiæ tuae , & eorum qui ibi adesse contigerit , præsentia &c.* =

Non refert id , inquam , nam in primis Privilegium ,

## 65 De Episcop. Cardinal. Suburbicariis

Cappellæ Cardinalitiae aliter se habet, nec eam discretivam continet, prout videre est in Cap. ult. de Privilegiis in 6., nec ex uno Privilegio valet illatio ad aliud; nam tritum est à diversis non valere illationem: L. Papinianus ff. de minoribus. Deinde etiam stando in puncto Privilegii concessi cum ea discretiva, at carentis expressa prohibitione ne etiam exteri Satisfaciant; adhuc subsistit exteriores præcepto Missæ in eo Oratorio satisfacere: Probo hoc: nam unica ratio ob quam nequeant exteri satisfacere præcepto in Oratorio aliquo, est, Prohibitio pontificia quæ excludendo exteriores a tali loco tunquam non idoneo ad ibi satisfaciendum præcepto, inducit consequenter obligationem audiendi in Ecclesia, vel in alio loco, qui non sit Oratorium illud; hac enim deficiente prohibitione, stat quod quilibet Fidelis ubicumque Missam audiat, præcepto Ecclesiæ satisfaciat, ut supra dicebam, & docent communiter Doctores S. Anton. p. 2. cap. 10. §. 1., Sylvester. V. Missa 2. q. 5., Medina lib. 1. inst. cap. 14. §. 9., Tolet. l. 6. cap. 6., Layman. tr. 7. cap. 3. n. 2. Suarez loc. supra cit., & de Sacr. disp. 88. sect. 2. aliquie, quamvis aliter senserit Pasqualigus. Sed sic est, quod in Privilegio concesso cum ea discretiva = *In tua & Familiarium præsentia*, at carente expressa prohibitione satisfaciendi relatè ad exteriores, non adest hæc prohibitio pontificia satisfaciendi relate ad exteriores ut patet, ergo &c.

Replicabis fortasse Prohibitionem *implicitè* adesse in ea discretiva = *In tua, & Familiarium tuorum præsentia &c.* = Sed contra, nam quod hæc Prohibitio implicitè contineatur in ea discretiva pendet ex mente Pontificis concedentis Privilegium, de qua cum non constet, investiganda est per regulas tradi solitas à Canonistis, videlicet, *Mentem dignosci ex proprietate verborum, adjuncto stylo concedentis*; jam vero proprietas verborum in casu de quo agimus, est, quod concessio

*suo facta uni; non sit Prohibitio subtilia alteri, & stylus con-*  
*dentis est, quod quando ille in concessione Brevis Oratorii*  
*pro domesticis privatis Oratoriis vult prohibere ne satisfiat*  
*præcepto ab aliquibus ibi Missam audientibus, id expressè*  
*prohibet per solitam clausulam = Volumus autem &c. = Unde*  
*cum in casu nostro id non habeatur, adhærendum videtur*  
*recepto Glossæ Axiomati = Concessum intelligitur, quod expressè*  
*non prohibetur = & alterius etiam Glossæ, seu Joannis An-*  
*dreæ = Omnia concessa intelliguntur, quæ non sunt expressè*  
*prohibita = Id quod addebatur de Brevi concessio Magno Ma-*  
*gistro Melitensi cum ea clausula expressè dante licentiam extra-*  
*neis satisfaciendi præcepto per auditionem Missæ in eo Ora-*  
*torio; duas habet responsiones. Prima est: Stylum non re-*  
*sultare ex uno, vel altero Actu, sed ex pluribus. Ut con-*  
*stat, ex l. 1. Cod. quæ sit; & Institut. de jur. nat.*

Secunda est, quod Concessio, ac dispensatio expressa  
 aliquando fiat non *ex necessitate*, sed ad majorem conscientiæ quietem, unde *ex tali Brevi* nec deducitur stylum Curiæ esse ut exprimatur in concessione Oratorii Facultas satisfacien-  
 di Præcepto quoties ea conceditur, nec expressam aliquando concessionem supponere præcisam ejusdem ad talem effectum necessitatem. Quare &c.

Expeditis hisce argumentis in contrarium; Censeo non solum domesticos, & Familiares, sed alios etiam quoscumque audientes Missam in Cappella horum sex & aliorum Cardinalium, sicut etiam in Cappella Episcoporum extra eorum Dioecesim, & aliorum similiter Privilegiatorum, satisfacere Præcepto Ecclesiæ de audiendo Missam in die festo. Ratio quoad Cardinalium Cappellam est multiplex allata in suo citato Tractatu ab Eminentissimo Brancacci, ac præsertim quia Cappella Cardinalium est quoad hunc effectum ad instar Ecclesiæ, in qua omnes admitti debent, secundo quia hoc prohi-

prohibitum non reperitur, 3. quia non deest Pontificum interpretativa concessio, qui Cardinales cum fuerint, hoc admiserunt, nec illud prohibuere Pontifices creati. *Quoad Episcopos extra Diœcēsim*, adest responsum Sac. Congreg., quæ die 22. Septembris 1640. declaravit, quod interessentes Sacrificio Missæ in privato Epitcopi Sacello satisfaciant præcepto Ecclesiæ tam in Diœcēsi, quam extra. *Quoad alios similiter in jure Privilegiatos* constat quia in eorum Privilegio deest unica ea ratio propter quam nequeat quilibet Fidelis ibi audiens Missam præcepto satisfacere, nempe, deest Prohibitio expressa Pontificis, & consequenter deest ab eo latum Præceptum de Missa alio in loco audienda. Ubi advertas duo esse, quæ hac in re non neminem decipiunt. Alterum est quod Privilium Cardinalium & aliorum, de quibus hactenus loqui sumus, perinde accipiant ac Privilium *de privatis Oratoriis in Domibus Sæculariis*, cum aliud omnino illud sit, nec à diversis valeat illatio, Alterum est falso, ut supra dicebam, supponi Universalem Fidelium obligationem esse audire Missam in Ecclesia, vel alio loco Cultui divino permanenter destinato, cum id in jure non habeatur, & quamvis olim audienda esset Missa in Parochia, nunc tamen, (ut cum communi docet Sylvester V. Missa 2. q. 5.) *ubicunque Missa audiatur, etiam in domo privata, est satisfactum Præcepto, ratione consuetudinis, scitæ & toleratæ, & rationabilis, & præscriptæ = intelligas semper: nisi aliter hic, & nunc à Pontifice disponatur.* Notat appositi Card. Petra tom. 2. ad Constat. VIII. Honorii III. Debere ab omnibus Priviliatis Oratorium cum Altari constitui *in loco decenti*, & visitari ab Ordinario loci, antequam erigatur, & ibi celebretur, quod tamen non intelligitur de Oratoriis Cardinalium, Episcoporum, & in jure Priviliatorum, ut bene notat Brancacci cit. Opusc. Quæres 16. An plures Missæ, etiam in festis solemnioribus

ribus possint in ejusmodi Cappellis Cardinalium , Episcoporum , & similiter in jure Privilegiatorum celebrari , etiam si non adsit Cardinalis , vel Episcopus &c. ?

R. Affirmativè olim resloverat Eminentissimi Cardinalis Brancacci loc. cit. , & Clericatus de Euch. decis. 8. , nunc etiam lego *affirmativam* doceri ab Eminentissimo Lambertino , nempe , Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO XIV. ( quem Deus sospitet ) hic enim in tom. 8. Operum docet Episcopos & Cardinales in suo doméstico Sacello plures Missas à quibuslibet idoneis Sacerdotibus , etiamsi ipsi non adsint , celebrari ex ipsorum placito posse qualibet anni festivitate : Id autem extendi etiam ad similiter in jure Privilegiatos non est ambigendum , cum de iis , ut supra vidimus ex Card. Petra , pariformiter res procedat . Quare nihil causæ est ut immorer in iis solvendis objectionibus , quas ex Pasqualigo concessit citatus recentior Scriptor . De his satis .

Quæres 17. Quænam Beneficia possint in suis Episcopatibus conferre hi sex Cardinales Episcopi ?

R. Posse ea omnia conferre quorum ipsi tanquam Episcopi sunt ordinati Collatores tam cum cura quam sine cura animarum , vacantia in omnibus anni mensibus , dummodo absit reservationum , vel affectionum Obstaculum : reservantur enim Sedis Apostolicæ dispositioni Beneficia post Pontificalem dignitatem majora : item Consistorialia , & Conventum habentia , ac quorum fructus taxati reperiuntur in libris Cameræ Apostolicæ , nec non Beneficia Familiarium Papæ , ejusque Officialium , Conclavistarum , aut reservata ratione vacationis apud Sedem Apostolicam , vel affecta , ac Familiarium S. R. E. Cardinalium , aliaque similia , de quibus videantur Riganti , & Card. de Luca rem fusè tractantes .

Quæres 18. Utrum hi sex Episcopi Cardinales possint in suis respectivè Episcopatibus conferre beneficia , quando ipsi absunt

absunt à Romana Curia , & quam diù eorum absentia duraverit?

Rq. Videri quod sic : quia hi Cardinales majori Prærogativa digni sunt quàm cœteri : Atqui cœterorum Cardinalium beneficia non reservantur quocumque mense vacent quamvis ipsi a Curia absentes sint , ut constat ex Reg. VIII. Cancellariæ , ergo &c. Dicendum tamen est sex hos Cardinales Episcopos Suburbicarios quando absunt a Rom. Curia subjacere regulæ septimæ Cancellariæ quoad reservationem Beneficiorum in suo respectivè Episcopatu , ac propterea eorum Provisionem durante ipsorum absentia spectare ad Sedem Apostolicam : ita Garcias 5. p. de benef. cap. 1. n. 404. , Gonzalez gloss. 24. n. 142. , Barbosa 3. p. alleg. 57. num. 185. , aliquie . Ratio est tum quia hac reservatione voluit Pontifex eos monere , ut ejus semper lateri assisterent , tum quia eorum Episcopatus non multum distat à Romana Curia . Neque urget adducta ratio in contrarium ; nam ut bene notat Castropalaus de benef. disp. 2. p. 21. , esto digniores sint & aliis præferri debeant , hoc tamen non obstat , quominus ob bonum Ecclesiæ in aliquo specialiter graventur , si tamen gravamen vocari potest hæc beneficiorum reservatio . Limites positam assertionem , ut ea non procedat , quando illi absint à Romana Curia ex legitima causa , ut tradit Gonzalez gloss. 24. n. 143. , aliquie apud Castropalaum loc. cit. , oppositum tamen volunt Recentiores .

Quæres 19. An tales Episcopi Cardinales in Curia possint conferre *sine concursu* Parochialeм Ecclesiam , quæ vacaverit in sua Dioceſi ?

Rq. Non deesse qui doceant partem affirmativam , dummodo is cui confertur , fuerit examinatus ab Examinatoribus deputatis à Papa , vel ejus Vicario . Ita Germonius tract. de *Indult. Car.* §. quibusvis , Massobrius in *Prax. habend. Concur-*

*re-*

requis. 7. dub. 42., Diana p. 5. tr. 2. resol. 42., nec censent obstare Concilium Trident. quia, ut ajunt, Concilium exigens Concursum in Parochialibus *etiam vigore Indulti S. R. E. Cardinalium conferendis*, intelligendum est de Indultis extraordinariis, nempe, circa ea beneficia, quorum collatio spectat ad Cardinales ratione alicujus Abbatiae, vel Dignitatis, quas possident in aliena Dioecesi, non autem circa Indulta Ordinaria, quoad ordinariam, videlicet, collationem beneficiorum sui Episcopatus, seu in Dioecesi: Verum possint nec ne de facto sine prævio concursu Parochiales Ecclesias ii conferre, prout volunt citati Auctores, pendet, quantum ipse aſequor, ex Praxi, & Sylo Curiae, qui proinde est attendendus. Illud mihi exploratum est quod Episcopi Cardinales sicuti possunt Romæ existentes, & extra suam Dioecesim beneficia etiam Parochialia conferre, per Cap. Novit 7. de off. Leg., Iaf. ad legem extra territorium: 20. de Jurisd. omn. Jud., Massob. prælud. 26. dub. 5. ita possint saltē ex Praxi quam vidi observatam, examen pro concursu Romæ in suo Palatio instituere, quamvis juxta Barbosam alleg. 60. n. 44., Gonzalez gloss. 10. n. 31., Flamin. de Resignat. lib. 8. cap. 9., n. 102. peragendum illud sit in loco beneficii, seu in Dioecesi, ad quam beneficium pertinet.

Quæres 20. Utrum Provisus de Beneficio ab Episcopo Cardinali in mense Apostolico, teneatur novam Provisionem deinde impetrare à Sede Apostolica?

R. Videtur quod non: ita enim docent Garcias de benef. p. 5. cap. 1. num. 37., Tondutus in Addit. ad 2. p. Q. beneficialium num. 42. allegans decis. 530. Sac. Rotæ in tom. 3. Recentior; & sic à Sacra etiam Concilii Congregatione fuisse declaratum testatur Card. Paleottus, uti refert Germon. de Indult. Card. Nihilominus contrarium

tenendum est, ut constat ex motu proprio Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI XIV. incipiente *Sicut accepimus*, sub Datum Romæ anno 1741., dummodo tamen Beneficium excedat valorem 24. ducatorum etiam nullis deductis oneribus. Quare Provisus ab Episcopo Cardinali in mense Pontificio de beneficio excedente prædictum valorem, tenetur ad impetrationem novæ Provisionis à Dataria sub poena *Impetractionis* contra eum admittendæ cum decreto solius signaturæ, ac expeditione, si videbitur, etiam per viam de Curia, & derogationibus, aliisque &c. ut in eodem motu proprio.

Quæres 21. Utrum hi Episcopi Cardinales Romæ plerumque Residentes possint subdelegare suis Vicariis, vel aliis idoneis Sacerdotibus in Dioecesi existentibus facultates, quas ipsi habent à Tridentino, alioque lure sive absolvendi, sive dispensandi?

Ré. Potestatem delegatam à jure, si delegata fuerit in perpetuum ratione Officii, aut Dignitatis æquiparari Ordinariæ, unde regulariter subdelegari ea potest, non tantum in Casibus particularibus, sed etiam generaliter, nisi in concessione expressum sit, ut per se ipsum illam Delegatus exerceat ita Gloss. in Cap. Fin. de Pot. Jud. Delegati, Covarr. lib. 3. variar. cap. 20., Sanchez l. 2. de Mat. disp. 40., Layman de disp., aliique quamplures.

Hoc posito; cum Episcopi habeant à Jure Tridentini, aliisque Juribus Potestatem dispensandi in aliquibus Irregularitatibus, absolvendi ab aliquibus Censuris &c. & hæc Potestas annexa sit Dignitati Episcopali, non autem Industriæ Personæ, siquidem ad Successorem transit, adeoque ad Personas incognitas eam Potestatem conferenti; consequens est ut eam Episcopi, ac præsertim hi Episcopi Cardinales residentes extra suas Dioeceses, possint Vicario, vel alteri

Per-

Personæ Idoneæ eam regulatiter subdelegare.

Dixi: *regulariter eos posse ejusmodi delegatam Jurisdictionem cuilibet idoneo subdelegare, non semper; quia potest contingere, rem tanti momenti esse ut debeat omnino à Delegato, expediri, nec alteri præter quam suo Vicario ab eo committi debeat.* Sic Potestas conferendi Beneficia, non potest Episcopus alteri committere quām Vicario suo Generali ut benè docet **Glossa apud Sanchez lib. 2. disp. 40. n. 15., & seq.**

Quæres 22. An possint dare licentiam asservandi SS. Eucharistiam in Oratorio, vel Ecclesia alicujus Conservatorii Puellarum?

R<sup>es</sup>. Quamvis Episcopi possint dare licentiam, ut in Ecclesiis Hospitalium, Conservatoriorum &c. celebrentur Missæ ut nuper scripsit Iigorius, & ratio sit quia ut loquitur Tamburinus de celeb. Missæ lib. 1. cap. 4. §. 3. cum Lezana: Oratoria in domibus Communitatis, non dicuntur esse in domibus privatis, sicut nec Cappellæ in publicis carceribus, ut notat Croix n. 264. cum Diana, & Quarto. Nihilominus communior ac recepta Opinio est non posse Episcopum dare licentiam asservandi in iisdem Ecclesiis Santissimum Sacramentum, sed requiri licentiam Sacrae Congregat. Concilii, tum quia Episcopus nequit dispensare in lege canonica universali, quæ extat in Can. Tribus §. tanta: dist. 2. de Consecr. ubi hæc habentur = Tanta in Altario Holocausta offerantur, quanta Populo sufficere debeant. Quod si remanserint, in Craftino non serventur, sed cum timore, & tremore Clericorum, & diligentia consumantur = tum quia hac super re interrogata Sac. Congregatio negativè sæpius respondit; & sic de facto sentiunt Squillante de Episcopi Oblig. cap. 22., Barbosa de Poteſt. Episcopi alleg. 22. n. 8., Genuensis cap. 110., ac præsertim Card. Petra ad

Dixi : *Communior*, ac *recepta Opinio* est : non autem universalis : Non desunt quippe graves Doctores sentientes posse Episcopum talem licentiam elargiri *justa sufficiente causa*. Ita Pax Jordanus tom. 2. l. 7. tit. 11. n. 17., Clericatus de Eucharistia dec. 60. n. 5., quibus favet Pasqualius de Sacrif. q. 353. n. 4. si agatur de afferuatione *ad tempus*, *non stabiliter*. Ratio esse potest. I. Quia Canon ille allegatus quo innituntur Auctores stantes pro *Negativa*, hodie abrogatus videtur per contrariam antiquissimam consuetudinem afferuandi in Sacratio divinam Eucharistiam, de qua testatur Tridentinum sess. 13. cap. 6., unde *pro afferuatione* non est opus ut dispensetur in eo Canone, sed præcisè opus est, ut habeatur Licentia legitimi Prælati *pro afferuatione in tali, vel tali Ecclesia, in tali vel tali loco*, ac propterea non est in casu allegabilis illa Regula, quod Inferior qualis est Episcopus, nequeat *dispensare* in lege seu Canone Superioris, qualis est Pontifex. II. Quia licet verum sit Sacram Concilii Congregationem sæpius respondisse non inesse Episcopo Potestatem concedendi licentiam de afferuando divinam Eucharistiam in Ecclesia Confraternitatis, vel Conservatorii Tertiatarum; verum etiam est responsiones ejusmodi datas esse ad Casus, & Interrogationes particulares, unde juxta multos TT., & CC. habent quidem illæ vim obligandi in casibus iis particularibus, at exploratum non est, quod eamdem vim habeant universim, & in casibus similibus, nisi fuerint non solum Papa consulto, & mandante editæ, sed etiam ejus mandato speciali solemniter promulgatae, uti docent *Salmanticensis* cap. 3. de Leg., *cum Tapia, Vasquez, Diana, Lezana*, aliisque, ac propterea possunt fortasse adhuc Episcopi, qui non interrogarunt Sac. Congreg.; hanc sibi Potestatem,

vindicare . III. Quia demum Episcopus ut Pastor Ordinarius , cui incumbit adæquatè Regimen suæ Dioecesis , potest antequam à Pontifice lex aliqua constituantur , eas omnes Licentias concedere , quæ ad commune Regimen , & communem Curam rerum Sacrarum pertinent , ut notat *Castropalaus de Dispens.* punct. 3. n. 9. Quare cum affervatio divinæ Eucharistiae in hac vel illa Ecclesia pertineat ad communem Curam rerum sacrarum , nec haec tenus hac super re Pontifex legem ullam certò tulerit , videtur Episcopus esse in possessione concedendi hanc licentiam .

Quod sane à fortiori procedit respectu Episcoporum Cardinalium , cum enim simus in casu , in quo lex canonica de non servanda Eucharistia in Ecclesia juxta Can. *Tribus cit.* vel abrogata sit , vel certè intelligenda hodie sit non simpliciter & absolute , sed cum limitatione , scilicet , ut non servetur sine licentia , & sine justa causa in hac , vel illa Ecclesia ; jam non agitur de danda dispensatione , sed de danda licentia , seu ponenda conditione , qua posita , lex illa non obliget ( differt quippe valde dispensatio à Licentia ) ; unde inquirendum unicè illud supereft = Utrum Episcopi Cardinales habeant Potestatem non quidem dispensandi in ea lege , sed dandi licentiam asservandi Eucharistiam , & sic ponendi conditionem qua Lex illa non obliget , habeant inquam hanc , nec ne ? Negavit sæpius hanc Potestatem inesse , ut dicebam , Episcopis Sacra Congregatio , sed an talis declaratio Congregationis afficiat etiam Episcopos Cardinales , qui ut tales sunt speciali nota digni , nec iis omnibus generalibus dispositionibus comprehenduntur , quibus alii comprehenduntur Episcopi , nisi illæ respiciant favorem publicum , animæ utilitatem , vel Pérículum , ut Firmat Faguanus *Cap. Ne pro dilatione : De Pœn.* & *Remiss.* n. 58. An , inquam , talis declaratio afficiat universim

70 *De Episcop. Cardinal. Suburbicariis*

sim etiam Episcopos Cardinales ? ipsi D. D. Cardinales Episcopi viderint. Evidem scio ab Episcopo Cardinali suis se olim cuidam Tertiariarum Conservatorio factam Potestatem asservandi Eucharistiam , cum illæ ad instar severiorum Monialium observarent Clasuram , nec pro communicandis Tertiariis Infirmis , satis per unicum illius Oppidi Parochialem Ecclesiam videretur provisum : in quo nihil addiderim, nisi Regulam illam juris = *Sapè quod non est licitum in Lege , Necessitas facit licitum.*

C A P U T I V .

*De Obligationibus talium Episcoporum  
Cardinalium .*

**H**onor quilibet quantumvis maximus suum habet annexum non leve Onus . Propterea Suburbicarii Episcopi Cardinalis Potestas satis ampla suis non destituitur magni ponderis Obligationibus . Quæ , & Quot præcipue hæ sint, paucis in hoc Capite expediam .

Quæres i. Utrum Suburbicarii Episcopi Cardinales teneantur ad personalem Residentiam in suis respectivæ Episcopatibus ?

Rx. Videtur quod non . Primò: Quia jam inde ab initio talium Lateranensium Cardinalium , ii nunquam fere in suis respectivè Diœcesibus Residentiam habuere , sed Romæ commorabantur , ut accurate ostendit *Brancacci in Opus. de Optione Card.* proposito exemplo in Episcopis Card. Ostiensibus , quorum alii fuerunt Vicarii Papæ in Urbe , alii Summi Pontificis Vicencancellarii , alii Urbis Modera-

ra-

tores &c. Accedit quod toto eo fermè tempore quo Pontifices Avenione degebant, harum Ecclesiarum Episcopi Cardinales daligebantur, & nunquam in iis permanebant. Imò constat tales Episcopos Cardinales fixam Romæ habuisse suæ domus habitationem, adeo ut Honorius III. cum in tellexerit Episcopum Tusculanum proprio carere in Urbe Palatio, illud ipsi & Successoribus dono elargitus fuerit = *Cum Tusculanus Episcopatus, inquit ipse in sua epistola apud Ughellum, habitaculum in Urbe non habuerit hactenus opportunum: Nos volentes tam tuis, quam Successorum tuorum incommoditatibus, quæ ex hoc provenire poterunt, obviare, Ecclesiam S. Mariae in Monasterio, de consilio Fratrum nostrorum Episcopatui tuo, jure concedimus &c.* Ex quibus perspicuum est hos Episcopos Cardinales nec habuisse, nec habere obligationem residendi in suis respectivè Dioecesisbus.

II. Quia tales præcipue Cardinales Romano Pontifici cum debeant assistere, & cum Romanæ Ecclesiæ serviant, quæ coeterarum est Mater, videntur esse in suis Ecclesiis virtualiter præsentes, unde ait Oldrad. Cons. 46., quod jus commune habet illos pro Residentibus : Neque obstat Trident. sect. 23. cap. 1. præcipiens residere in sua Ecclesia Episcopos etiam Cardinales, nam si ii degant in Romana Curia, & à Summo Pontifice discedere non jubantur, tacita illa Papæ approbatio, videtur à tali Præcepto dispensatio, ut ait *Germanius de Cardin.* §. tibi quoad vi-  
xeris: n. 10.

III. Quia nonnulli opinantur apud Hurtadum de Resid. tom. 1. l. 2. resol. 7. n. 10., quod hi sex Episcopi habeant jurisdictionem tantum delegatam à Papa, & is ordinariam in prædictis Ecclesiis, atque idcirco ille ( nempe Pontifex ) censeatur residere : quamobrem cum Cardinales suis Vicariis delegatam quam habent jurisdictionem sub-

de-

72      *De Episcop. Cardinal. Suburbicariis*  
delegent, nil mirum si à Residentia ipsi excusentur.

Nihilominus. Præmittendum primò est ; Omnes Ecclesiarum Prælatos vel Rectores tam Superiores, quām Inferiores non humano tantum, sed etiam divino præcepto ad Residentiam personalem obstringi, idest, *ad assiduitatem commorationis in loco beneficii, causa servitii Ecclesiastici personaliter præstandi*. Quod ex pluribus Sacræ Scripturæ locis efficacissimè colligitur, verbisque ac menti Concilii Tridentini aptissimè consonat, quamvis hoc ipsum à Concilio non sit expressè definitum.

Præmittendum est secundo ex S. Thoma, & Cajetano 2. 2. q. 185. art. 5. apud Layman de benef. tr. 2. cap. 6.; quod causa obligandi Ecclesiasticos Pastores ad Residentiam personalem, cum sit Salus Animarum; ideo ubi hæc præsentiam Pastoris exigat, non potest Pastor Gregem suum deserere propter aliquid suum commodum temporale, imo nec propter propriæ Personæ periculum : cum *bonus Pastor animam suam pro ovibus dare debeat*. Joan. 10 Sin verò Ecclesiæ atque Subditis utilius, vel *quæ utile futurum est, ut Episcopatus vel Parochia ab absente Viro doceatur, vel ab eo qui magnæ Potestatis & Auctoritatis est, per Vicarium administretur, quām si ab alio quopiam præsente, consideratis etiam aliis circumstantiis loci, temporis &c.*; in hoc casu Obligatio personalis Residentiæ cessat secundum *Jus divinum*, & manet tantum Obligatio Juris Ecclesiastici, in quo Papa dispensare potest sive in casibus particularibus, sive generali lege.

His diligenter prænotatis. Dico primò. Suburbicarii Episcopi Cardinales tenentur per se loquendo tam jure divino, quām Ecclesiastico ad personalem Residentiam in suis respectivè Episcopatibus: Ita expressè Sanctarellus in variis q. 2. num. 5.; Hurtadus loc. sup. cit., Brancacci in Opusc.

Opus. de Option., aliique. Ratio facilis atque expedita est: Nam ipsi sunt verè ac propriè Episcopi, & Pastores Animarum: Atqui ex nostro primo Prænotato omnes Pastores animarum tenentur tum ex jure divino, tum Ecclesiastico ad personalem Residentiam, ergo prædicti Episcopi ita ad id tenentur.

Dico secundo. Hæc Residendi Obligatio respectu prædicatorum Episcoporum desit per accidens esse de jure divino, ac facta est de jure merè Ecclesiastico, in quo jure Pontifex dispensat, ac dispensavit circa hanc materiam iustis & legitimis de causis. Assertio triplicem habet partem. Probatur prima pars: Episcopatus hujusmodi sunt Romæ proximi, & vel populo infrequentes, vel peculiaribus quibusdam pro animarum bono subsidiis destituti, vel ad dignitatem Episcopalem ibidem honorifice sustinendam redditibus parum instructi, adeò ut vel utilius, vel certè æquè utiliter ab absente Episcopo Cardinali in Urbe commorante per suum Vicarium gubernentur, quam à præsente alio Episcopo non ejusdem auctoritatis, nec ejusdem experientiæ, & opum sufficientiæ ibidem residente, ac propterea juxta secundum nostrum prænotatum cessat in his obligatio Residentiæ Personalis secundum *Jus Divinum*, & per accidens manet dumtaxat obligatio *Juris Ecclesiastici*, ut rectè observat præ coeteris Eminentissimus Brancacci in ci-tato sæpius Opusc. de Optione. Altera pars, nempe, quod Pontifex dispensat, seu dispensaverit, probatur; nam Summus Pontifex Urbanus VIII. in suo motu proprio die 28. Novembris 1633. sic ait = *Insuper Sanctitas Sua declaravit dubium hactenùs nullo modo fuisse, nec esse debere, Residentiam Cardinalium Archiepiscoporum, ac Episcoporum extitisse, & esse apud alias Ecclesiæ Metropolitanas, seu Cathedrales sibi commissas, non autem apud sex Ecclesiæ Cathedrales Ti-*

tulares eorumdem Cardinalium , in quibus Cardinales ordine priores præesse solent &c. = Item idem Pontifex in sua Constitutione 60. exceptit hos sex Cardinales à lege quam ibi statuit , ita ut ad residendum in suis respectivè Ecclesiis eos obligatos non agnoscat . Accedit nupera Clementis XII. Constitutio , in qua §. 9. apertè supponitur horum Episcoporum Cardinalium Residentiam esse in Romana Curia , ut Romano assistant Pontifici , quamvis ab obligatione ( ut infra dicemus ) suas Ecclesiæ , & Dioceceses visitandi minimè eximantur ; undè perspicuum est Romanos Pontifices dispensare vel dispensasse cum his super Residentia Personalis . Tertia demum pars, videlicet , quod justis , & legitimis de causis dispensatio hæc processerit latè , ac varie ostenditur a diversis probatis Auctòribus , mihi verò præcipue suadetur ex eo , quod hujusmodi Cathedrales admodum vicinæ , & proximæ sint Urbi Romæ , nam ut ajebat olim Torres in tract. de commen. perpet. cum proximè in Urbe hi Episcopi commorentur , in sua Ecclesia videntur personaliter residere = Sex , inquit , Episcopos Cardinales semper ex ipso , qui propter vicinitatem Ecclesiarum in ministerio Cardinalatus perpetuò esse possunt simul , & ab Ecclesiis suis non abesse = Imò Clemens VIII. id ipsum censuit , quando Cardinali Bellarmino commonefaciens Pontificem de Episcopi Tiburtini , aliorumque non Residentia , ipse respondit = *Tuscus* ( idest Episcopis Tiburt. ) *residet* , quia qualibet hebdomada potest esse Tibure = quare vicinitas , & proximitas talium Ecclesiarum satis congrua videtur fuisse causa , & legitima , ut Pontifices à Residentia exeperint sex hos Episcopos Cardinales . Hinc stantibus his duobus , nimirum , dispensatione Pontificia , & causa legitima ejusdem dispensationis omnes ferme Auctores excusant hos Episcopos Cardinales ab actuali personali Residentia in suis Ec-

clesiis, ut videre est apud cit. Card. Brancacci, Dianam, Sanctarellum, aliosque, quamvis iidem Episcopi spectato jure divino, ac per se loquendo independenter ab his duabus enumeratis circumstantiis, tenerentur sicut alii Episcopi ad personalem actualem Residentiam.

Neque obstant in contrarium adducta. Non primum quia dato & admisso eo puncto historico, de quo non vacat inquirere, Episcopi illi Cardinales qui olim non residebant, habuere justam fortasse causam non residendi una cum tacita vel expressa dispensatione Rom. Pontificis, sicuti nunc nostri habent; de quolibet enim præsumi debet quod sit bonus & non malus, nec ex malitia ab officio suo discedat. Glos. in Cap. 2. de Scrut. in Ord. faciend. & in Cap. Du-  
dum de Præsumpt.

Non secundum. Nam non desunt plures alii Cardinales qui in Curia assistant Pontifici, unde per hoc præci-  
sè non excusantur à residendo Episcopi Cardinales. Notat quippe Card. Cajet. 2. 2. q. 185. art. 5. quod si negotium universalis Ecclesiæ necessariò exigeret Episcopum; tunc ab-  
sentia esset rationabilis, sed si negotium universalis Eccle-  
siæ, non necessariò exigat Episcopum, non excusatur Epi-  
scopus à Residentia qoad Deum. Quare etsi proprium  
censeatur Cardinalium Pontifici assistere, eumque præsenti  
consilio, & opera juvare, tamen id commodè fieri cum  
possit per alios, in quibus par Prudentia & dexteritas,  
rerumque usus sit, non excusantur præcisè ex eo munere  
Episcopi Cardinales ab onere residendi, præsertim cum  
Episcopi Cardinales, ut notat Bellarminus ad Clem. VIII.,  
hodie non se Administratores, sed Episcopos dici velint  
Ecclesiarum, quibus præficiuntur.

Non denique Tertium, quia ea opinio nullum habet  
solidum fundamentum, ac propterea ab ipso Hurtado tan-

76      *De Episcop. Cardinal. Suburbicariis*  
quam falsa rejicitur; prout supra etiam rejecta est.

Quæres 2. Utrum tales Episcopi Cardinales teneantur visitare suas respectivè Dioceses Suburbicarias?

R. Videbitur fortasse quod non, quia ex suppositione quod sint dispensati à Residentia, ac teneantur residere in Curia Romana, ut colligitur *ex Fagnano p. parte de Postulat. Prælatorum Cap. Bonæ memoriae &c.*, sequitur esse etiam ab ejusmodi onere dispensatos; præsertim cum teste Hieronymo Platti cap. 32. de Card., ut Cardinales ad quædam munera extra Rom. Curiam mittantur & adhibeantur, oportet haud mediocre esse negotium sed magnum, & arduum, nec privatum sed publicum, ac vel ad totam Ecclesiam pertinens, vel certe ad præcipuam ejus partem.

Dicendum tamen eos teneri vel per se, vel per alios suas Dioceses visitare. Ita apertè constat ex Decreto Consistoriali sub Alex. VII. in quo sancitur, ut omnes sex Episcopi visitare teneantur proprias suas Dioceses ad præscriptum Sacrorum Canonum, & Concilii Tridentini. Deinde constat ex Constitutione novissima Clem. XII. *Pastorale Officium &c.* ubi §. 9. firmatur teneri hos sex Episcopos Cardinales Ecclesiæ, & Dioceses suas ad præscriptum Sacrorum Canonum, & Decretorum Concilii Tridentini visitare per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum Vicarium in Spiritualibus Generalem, aliumve probum, & ad id idoneum virum Ecclesiasticum. Quare &c.

Neque obstat Munus talium Episcoporum esse Romano Pontifici assistere, ab eoque nunquam nisi ob causam publicam divelli; nam expreſſe hujus assistentiæ meminit Clemens XII. loc. cit., atque ea minimè suffragante docet præfatos Episcopos teneri ad visitandam Dioceſim, etiamſi, inquit ipſe, in dicta Curia, ut Romano assistant Pontifici commorentur. Hinc nuperis temporibus vidimus Eminentissimum

simus Card. De Ilcio ferme octogenarium semel atque iterum Sabinen. suam Dioecesim, quæ sexaginta numero aut Oppida aut Pagos complectitur, per asperos & salebrosos colles, maxima inter pericula, equo vectum aut sella gestatoria, lustrasse, ea quidem diligentia in suæ commoditatibus Ecclesiæ conquirendis ut ipsemet pueros, puellasque primis Christianæ Religionis rudimentis imbueret, ipse immensam Populi multitudinem cœlesti pane reficeret, ipse demum pacificaret dissidentes, distraheret pellicatus, publice quovis in Oppido divina Mysteria, & optimi Pastoris munera obiret, ne suos, scilicet, Aetas nostra Carolos, aut Salesios desideraret. Adeo senescente etiam Mundo Heroicæ Charitatis & Pastoralis Curæ absolutissima Exempla non defant.

Quæres 3. Utrum teneantur visitare limina Apostolorum & suæ Dioecesis relationem ad normam Sixtinæ Constitutionis Romano Pontifici exhibere?

R. Affirmativè: ita enim expressè statuit in cit. sua Constitutione *Pastorale Officium &c.* fælicis recordationis Clemens Papa XII., ac propterea ii tertio quoque anno visitationem prædictam explere ac Relationem exhibere tenentur; cum hoc tamen quod tempus numerandum sit non à die assumptionis seu Optionis ad Episcopatum, sed a Publicatione Bullæ Sixtinæ: Contrafacentes verò seu omitentes debito tempore per se ipsos ad limina accedere, vel saltem per alium si legitimo detineantur impedimento, ut referant statum suæ Dioecesis, incurrerent ipso facto in suspensionem ab ingressu Ecclesiæ, ab administratione temporalium & spiritualium, & à fructibus Ecclesiæ Episcopalis &c. Neque idcirco excusarentur quod sint Cardinales, qui non ligantur poena imposta universaliter omnibus; nam id intelligendum = nisi exprimantur = In Constitutione au-

tem

tem Sixtina exprimuntur etiam Cardinales, ut videre est apud Bonacc. de Cens. in part. disp. 3. q. 5. punct. 6., quare &c.

Quæres 4. Utrum teneantur constituere Vicarium Generalem in sua respectivè Dioecesi?

R<sup>s</sup>. Videtur quod non. Quando enim nulla urget necessitas, propterea quia Dioecesis parva est, vel quia Episcopus ita est industrius, & exercitatus in negotiis gerendis ut per se solus omnia commodè agere possit quæ ad munus Episcopale pertinent; tunc Episcopus nec debet, nec cogi potest constituere sibi Vicarium Generalem, ut plures Doctores firmant contra alios apud Laurenium de Vicar. cap. 1. q. 27. Cum autem talium Episcoporum Dioeceses, una excepta Sabinen., sint satis exiguæ, & ejusmodi Episcopi sint in negotiis Ecclesiasticis capessendis vel gerendis consilio ac peritia præ cœteris prædicti, non est quidquam causæ ut Vicarium Generalem sibi asciscere obligentur.

Dicendum tamen est eos ex quadam naturali ratione teneri Vicarium Generalem in propria Dioecesi constitutre. Ratio est quia ipsi propter multitudinem occupationum quas ex Cardinalatu habent in Curia Romana, et si diligenter sint, tamen per se solos plerumque non sufficiunt omnibus negotiis saltem commodè expediendis, quæ ad regimen Episcopale, & Curam animarum pertinent. Accedit quod residentibus ipsis in Curia Romana extra Dioecesim ratio quædam naturalis exigit deputationem Vicarii intra Dioecesim, ut Justitiæ, Litigantibus, & rebus Ecclesiasticis, consulatur. Quod confirmari potest auctoritate eorum qui putant quemcumque Episcopum teneri ad Vicarii Generalis deputationem etiam ubi Episcopus posset omnia per se ipsum expedire: sic enim docent apud Sbrozz. Baldus in *L. aliquando de Offic. Procons. n. 1. Lancellott. Inst. juris Can.*

*Can. de Offic. Vicarii, Rebuff. tract. de nominat. q. 4: num. 61., alioq. apud eundem. Unde patet responsio ad Opposita.*

Quæres 5. Utrum teneantur constituere in sua propria Dioecesi Suffraganeum, seu Vicarium in Pontificalibus?

R<sup>g</sup>. Sciendum est primo: Nomine Suffraganei intelligi hoc loco Episcopum aliquem Titularem, qui assumatur ab Episcopo Dioecesano tanquam Coadiutor, & Vicarius ad exercenda in sua Dioecesi Pontificalia: *ex Barbosa Jur. Eccl. lib. 1. cap. 15.* Hic verò differt à Vicario Generali ex eo quod per receptionem talis muneric nullam jurisdictionem sive Ordinariam, sive delegatam habeat, sed solam Potestatem exercendi Pontificalia dependentem à consensu & licentia Dioecesani, quæ Potestas non est Jurisdictionis. *Layman in Cap. Quoniam de Officiu Jud. Ordin. num. 2.* Aliquando tamen idem qui est Suffraganeus constituitur ab Episcopo Dioecesano Vicarius Generalis.

Sciendum est - 2. Quemlibet ex Episcopis his Cardinalibus posse in sua respectiva Dioecesi Suburbicaria Episcopum aliquem Titularem in suum Suffraganeum assumere, constituto illi anno censu ad sui sustentationem, nullib[us] enim id iis prohibetur, & omnia sunt licita, quæ nulla legge sunt vetita *Cap. Nullus de Testibus n. 1.* De facto Antonius olim Card. Barberinus Episcopus Tusculanus suum ibidem habuit Suffraganeum Illustrissimum Bottoni, quem pingui à se præstito Honorario munifice sustentabat.

Sciendum est . 3. Episcopum Cardinalem Ostiensem ac Velerum obligari ex Decreto Urbani VIII. edito die 20. Augusti 1629., cuius meminit Illustrissimus Archiep. Borgia sacer. 17. n. 30. suæ historiæ Velerum, habere in Civitat. Velerum Episcopum Titularem Suffraganeum, eidem-

demque de mensa Episcopali quingentos aureos in singulos annos suppeditare, prout de facto Eminentissimi Ostiensis Episcopi & Suffraganeum habent, & statutos illi annuos redditus subministrant.

His præmissis. Aio : Nullum ex his Episcopis Cardinalibus præter Ostiensem ac Velerum. habere propriam atque expressam in jure aliquo positivo obligationem assumendi sibi, & constituendi in sua Diœcesi Episcopum Suffraganeum, nam si aliquis ex his talem Obligationem haberet, potissimum esset Sabinen., qui Diœcesim satis amplam obtinet, & jam inde à tempore Urbani VIII. consuevit Suffraganeum sibi ad Pontificalia assumere. Verum Jus nullum scriptum, quod Sabinen. Episcopum circa Suffrageum afficiat, hactenus reperio : Consuetudo vero ortum habuit, & continuata est non ex intentione introducendi obligationem, sed ex debito satisfaciendi piæ dispositioni, ac prorsus liberali munificenijæ unius ex Episcopis Cardin. Sabinen. qui certos redditus reliquit ad effectum, ut illis Sabinen. Episcopus in Suffraganeum erogaret. Accepimus quippe in historiis apud Abb. Piazza de Hierarchia Cardinalitia, Scipionem Card. Burghesium Episcopum Sabinen. labente anno 1629. (fortasse ut Sapientissimo Urbani VIII. consilio, qui eo anno Suffraganeum Veleris decreverat, se conformaret) Summam quamdam pecuniae in locis montium deposuisse, ex qua aurei quadringenti in singulos annos provenirent, iisque ad alendum Suffraganeum Sabinen. impenderentur. Quare nullus, ut dicebam, Episcopus Cardinalis præter Ostiens. & Velerum. habet ex expresso positivo jure obligationem assumendi sibi Suffraganeum in sua Diœcesi. Sabinen. verò habet hanc obligationem, non quidem ex jure positivo scripto vel consuetudinario, sed ex debito satisfaciendi liberali ac piæ sui Antecessoris dispositioni; quamquam

quam non negarim expediens magnopere esse , ut in Sabinens. hoc Episcopatu, utpote valde extenso , ac porrecto Episcopus Suffraganeus resideat , qui Subditos levet ab one- re semper Romam adeundi pro susceptione sive Ordinum, sive Confirmationis &c.

Quæres 6. Utrum teneantur ejusmodi Episcopi singulis annis Synodum Dioecesanam congregare juxta Trident. sess. 24. cap. 4. de Reformat. ?

R. Præmittendum est . 1. Episcopos ad occurrentium Ecclesiarum incommodis in dies nascentibus , & ad mo- res Cleri reformandos , & controversias , componendas obligari singulis annis Synodum Dioecesanam celebrare , prout eos admonet Trident. sess. 24. cap. 4. de Reform. , quam obligationem esse gravem declaravit Sacra Congre- gatio , nisi Causa excusat , quæ debet afferri in visitatione liminum Apostolorum , ut ait Gavantus in Praxi Dioce- sanæ Synodi cap. 1. §. 1. n. 6. Imo omittens celebrare Sy- nodum , de jure communi venit suspendendus ab exequitione Officii : ex Cap. *Sicut de Accusat.* , & ex declaratione Sacræ Congreg. Concilii 27. Martii 1590. , quod etiam nu- per adnotavit Sanctissimus in Christo Pater BENED. XIV. in docto suo Opere de Synodo .

Præmittendum est . 2. Non leve esse dubium an præ- dictum onus, seu obligatio emolliatur aliquantulum, vel potius omnino cesset respectu talium Episcoporum Cardinalium ? etenim commodè in ipsos etiam derivari possunt , quæ in ordine ad excusandum ab eodem onere Vicarium Urbis sapienter de more adnotat Sanctissimus Dominus Noster in citato suo Opere lib. 2. cap. 3. Nempe , talium Episco- porum Dioeceses , ( si unam vel alteram excipias ) esse valde exiguae ita ut una veluti conversione oculorum omnes Episcopus suæ Dioecesis Parochos , Presbyteros , coeteros-

## 82 *De Episcop. Cardinal. Suburbicariis*

que de Clero intueri possit, & consequenter necesse non sit eos in unum cogere, ut ab iis de suæ cuiuslibet Parochiæ statu habeatur informatio, vel ii ab Episcopo vicissim salubria monita accipient. Deinde omnes hæ Dioceceses sunt proximæ ac fermè contiguæ Curiæ Romanæ ubi Sacræ habentur Cardinalium Congregationes sive Concilii, sive Episcoporum, quæ Ecclesiarum in dies nascentibus incommode occurunt, super irrepentes abusus invigilant, & facilis ad eas cum unicuique ex his Dioceesisbus pateat accessus; non est timendum ne omissio Dioceesanæ Synodi Ecclesiasticæ in iisdem Dioceesisbus disciplinæ pariat detrimentum: Quare censendum videtur tales Episcopos, et si ab hac lege afficiantur, quatenus ea dirigitur ad omnes Episcopos, excusari tamen ab ejus actuali observatione, propterea quia attentis enumeratis circumstantiis rationabiliter præsumitur Legislatorem nolle eos tanta severitate obstringere.

His præmissis: Existimari ejusmodi Episcopos Cardinales propter supra allatas rationes facile ab hac lege congregandi quotannis Synodum posse se subtrahere, præser-tim cum ab aliis etiam Episcopis, ut docet Monacellus t. 1. Formul. 3. tit. 5. non ita frequenter ea observetur; adeo ut plures sint Episcopi, qui vel tantum unam, vel nullam Synodum toto tempore Præsulatus convocare & publicare contenti esse soleant. Aliqualis tamen ratio legis hujuscetiam ab his Episcopis Cardinalibus habenda est, ita ut si opportunitas se se obtulerit, vel necessitas id exigat, eam minimè negligant, quandoquidem nefas est Episcopum ea negligere, quæ appositè ad rectam suæ Ecclesiæ institutio-nem Sacri Canones & Concilia suppeditant: Enimvero plures ex his Suburbicariis Episcopis huic se legi accomoda-runt cogentes Dioceesanam Synodum sive Tusculi, uti olim præstitit Franciscus Maria Card. Brancacci, sive Vetrinis, uti olim

olim pariter per Nepotem suum Patriarcham rite peregit Alderanus Card. Cybo , aliqui alibi . Animadvertisendum autem est quod ubi Synodus Dioecesana jam diu fuerit omis- sa , atque idcirco Examinatores Synodales in ea constituti vel decesserint , vel abierint ; sunt alii ab Episcopo Cardinali Subrogandi de licentia & facultate Sacrae Congregationis Concilii , quam facultatem Sacra eadem Congregatio nunquam denegat , & sic Subrogati durant ad annum , eosque Sacra Congregatio singulis annis , petente Card. Episcopo , confirmat , ut optime docet Sanctissimus Dominus Noster in Synodo Diœc. lib. 4. cap. 7.

Quæres 7. Utrum iidem Episcopi Cardinales teneantur suo Populo prædicare ?

R<sup>e</sup>. Affirmative , nam præcipuum id Episcoporum munus est , ut inquit , Sacrum Concilium Tridentinum sess. 5. cap. 1. de Reform. , & habetur in Cap. placent 100. qu. 1. , imo id ipsum docet Episcopalis Consecratio in qua dicitur = *Accipe Evangelium , vade , & prædicta Populo tibi commisso* = Quamvis vero Episcopus teneatur per se ipsum Prædicare , ut recte cum Concilio Romano docet Sanctissimus Dominus Noster in suo Opere de Syn. Diœc. 1. 7. cap. 43. , duplarem tamen id habet limitationem , videlicet , *nisi ipse fuerit legitimè impeditus , & nisi alicubi consuetudo invaluerit ut per idoneum Substitutum id fiat* , ut notat Squillante de Oblig. Episc. p. 1. cap. 6. Cum autem ejusmodi Episcopi Cardinales sint plerumque legitimè impediti vel ab ætate provecta , vel ab assistentia præstanta Romano Pontifici , ac præterea jam usu receptum sit , ut ipsi Prædicationem exerceant per idoneos , ac probos Substitutos ; Hoc ipsis maximè incumbit , ut opportunos , & aptos Sacerdotes feligant , qui frangant panem esurientibus , Diœcesim omnem pabulo verbi Dei nutriant , idque faciant

quam s̄epissime. Memini piissimum olim Card. Sebastianum Antonium Tanara Episcopum Tusculanum adeo Verbi Dei prædicationem in sua Diœcesi frequentem voluisse , ut non solum per Quadragesimam & Adventum in sua Cathedrali eam procuraret, sed per omnes totius anni Dominicos dies ex religiosa Capuccinorum familia Sacerdotes acciverit, qui de rebus divinis , cœterisque spectantibus ad salutem animæ Populum pro concione commonefacerent atque erudirent . Tanti a sapientissimo Antistite siebat , ut frequens suis Ovibus Evangelii Prædicatio in promptu esset .

*Quæres 8. Utrum teneantur aliquando per se ipsos Sacra menta aliqua Populo ministrare ?*

*Rq.* Ex duplice Capite potissimum oritur obligatio relatae ad Episcopos ministrandi *per se ipsos* Sacra menta : Primo ratione Residentiæ quæ non debet esse merè materialis , sed cum effectu , unde aliqua per se ipsos præstare debent , siquidem accipiens Episcopatum obligat suam Personam ad proprias illius functiones , tacitèque promittit se illas obitum quantum res feret : *ex Reiffenstuel lib. 3. tit. 4.* Hinc debent Episcopi nullo existente impedimento conferre aliquando per se ipsos Sacros Ordines , Confirmationem &c. Deinde oritur *ratione necessitatis* ; nam Episcopus est Parochus Parochorum , & Ordinarius in tota sua Diœcesi , ad quem principaliter pertinet Cura animarum ejusdem suæ Diœcesis , unde tenentur Episcopi , Parocho deficiente , si nullus alius adsit Sacerdos ministrare *per se ipsos* Sacra menta tempore etiam Pestis : *ex Gobat. Tr. 1. num. 134.*

Jam verò cum ejusmodi Episcopi Cardinales ex Pontificio Indulto ut supra diximus , immunes sint à Personalis Residentia , & propter vicinitatem Urbis nulla sit necessitas , ut ipsi per se met ipsos habeant sacram Ordinationem ,

vel

vel Sacramentum Confirmationis , aliaque administrent , si quidem nullo vel levi incommodo pro illis duobus Sacramentis suscipiendis possunt Subditi se Romam conferre , & pro aliis est abundè in propria Dioecesi illis provisum ; Sequitur quod ejusmodi Episcopi Cardinales non habeant rigorosam & strictam obligationem ministrandi per se ipsos Sacra menta sive Ordinis , sive Confirmationis &c.

Dixi : *strictam , & rigorosam obligationem* , nam equidem non negarim aliquam inesse illis Obligationem *ex honestate ac decentia* : Decet quippe tales Episcopos in sua Dioecesi aliquando Pontificales functiones exercere , & propria dignitatis Episcopalis , *Ordinis scilicet , & Confirmationis* Sacra menta ministrare &c. Etenim turpe est quod Civitas Episcopalis Episcopalia sui Pastoris munera nunquam in exercitio videat , & semper alienum , vel mercenarium , nunquam proprium Pastorem sibi pabulum Sacramentorum ministrantem agnoscat . Profecto id probè intelligit piissimus Senex Raynerius Card. De Ilcio Episcopus Sabinen. , qui propterea sæpius per annum Pontificales in sua Dioecesi functiones exercet , atque inter lustrandam Dioecesim quamplures ubique Confirmationis Sacramento corroborat . Sanctum est enim illi omnes sui Pastorali officii partes admissim explere , nec quidquam Cardinalitiae dignitatis oneri detrahere .

Quæres 9. An iidem teneantur juxta Rom. Concilii sub Benedicto XIII: præscriptum Cleri Congregationem habere pro Sacrorum Rituum , & Casuum Conscientiæ disceptatione ?

R. Concilium Romanum sub Bened. XIII. de anno 1725. cui omnes sex Cardinales Episcopi vel per se ipsos , vel per suos Procuratores subscripsere , hæc titulo i.e. statuit ac decernit = *Quocirca opera præmium ducant Episcopi , omnem-*

86 . De Episcop. Cardinal. Suburbicariis  
omnemque Curam , ac diligentiam adhibere non desistant ;  
quousque Congregationes tum in Civitatibus , tam in Dioecesi-  
bus , per omnes de Clero , Sacris initatos , Canonicos , Parochos ,  
& Confessarios ( Regulares etiam , dummodo morales in eorum  
Conventibus lectiones non habeantur , alias ab audiendis Con-  
fessionibus suspendendos) semel in unaquaque hebdomada certoque  
designando die , & sub certa pena pecuniaria contra Contu-  
maces habeantur , in quibus alternativim , & Rituum , & Con-  
scientiae Casus proponantur , discutiantur , & practice exer-  
ceantur &c. =

Jam vero Episcopi hi Cardinales ejusmodi Conciliari  
decreto multiplici ex capite tenentur se conformare . Pri-  
mò : quia conciliaris hæc dispositio directa est ad omnes  
Episcopos Prov. Romanæ & respicit favorem publicum ,  
seu utilitatem animæ , ac propterea cum etiam nostri Epi-  
scopi sint eorum Dioecesum Episcopi quæ subsunt Provin.  
Rom. , & Cardinales comprehendantur ea Conciliari di-  
spositione , quæ concernit favorem publicum , quamvis de il-  
lis non fiat expressa mentio , ut pluribus firmat Fagnanus  
in Cap. *Ne pro dilatione: de Pan. & Rem. num. 58.* ; se-  
quitur hos Episcopos Cardinales hac conciliari lege teneri . Se-  
cundò . Quia par est ut ipsi , utope majores , exemplo aliis  
præeant in observanda ea lege , quam ipsimet una cum  
aliis Romanæ Provinciæ Episcopis tulerunt . ac subscripse-  
runt . Tertiò . Quia in Suburbicariis his Dioecesibus magna  
est necessitas talium Congregationum , ne Clerus plerum-  
que Pauper , ac Domesticis curis occupatus libros omnino  
deserat , & quæ olim didicerat , prorsus obliviscatur . Enim-  
vero exactè admodum ante ipsum Romanum Concilium has  
Congregationes Casuum curabat in sua Tusculana Dioecesi  
Eminentissimus Franciscus Card. Giudice , qui ne quisquam  
de Clero negligentia obtenderet , ex librorum inopia suæ  
in-

inscitiae necessitatem ; de suo ære satis ampla librorum suppellectili Dioœcœsos ipsius Summum Templum donavit , quibus unusquisque , si vellet , moralem sibi scientiam compararet , & ad Casuum Congregationem sese opportunè instrueret .

Quærēs 10. An ejusmodi Episcopi Cardinales debeat uti ea Intitulatione = *Dei, & Apostolica Sedis Gratia* = ?

Ré. De hac re agit Cardinalis Petra ad Constitutionem 3. Innoc. III. sub finem , Rebuffus in Praxi beneficiali n. 4. , Thomasinus lib. 1. cap. 60. num. 9. Ex quibus habeas primos fuisse Episcopos Cyprios qui hac intitulatione usi fuerint de anno 1252. , sed non constanter , siquidem consequentibus temporibus reperiuntur apud Labbè Episcopi Cyprii , qui non eam sed aliam Intitulationem adhibuerint , nempe , *Divina miseratione Episcopus &c.* = Ab Episcopis Cypriis derivatus est talis usus in Italiā ad Archiepiscopum Ravennatē , deinde ad Episcopos aliquot Galliæ , & tandem ad Archiepiscopum Salisburgensem in Germania . Hodiē passim usurpatur ab omnibus fere Episcopis , ita ut ea Intitulatione utantur , ex testimonio Card. Petra , etiam Electores Coloniensis , Moguntinus &c. Dixi fere omnes nam affirmat laudatus Card. Petra non teneri ea uti aliquos Episcopos , quorum Antecessores ea nunquam usi sunt sciente , ac tolerante Sede Apostolica , quales sunt Archiepiscopi Consentinus , Capuanus , & Episcopus Surrentinus .

Rationes talis usus conjectat Thomasinus fuisse à principio , ut Episcopi ostenderent se speciali modo participare de Potestate Sedi Apostolice , atque idcirco talem usum invaluisse sub initium præcipue apud Archiepiscopos . Continuatio verò hodierna idcirco fit , ut ostendatur dependētia Episcopi à Romano Pontifice , quare nolentes ea intitulatione uti in suspicionem aliquam Schismatis veniunt apud

Ro-

88      *De Episcop. Cardinal. Suburbicariis*

Romanam Curiam , ac de facto , teste eodem Card. Petra ;  
fuit olim in crimen vocatus ipsius Patruus Episcopus Sur-  
rentinus , qui ejusmodi intitulationem in quodam à se edito  
libro omiserat .

Propterea de Stylo Curiæ quædam hodie est obliga-  
tio , ut Episcopi hac Intitulatione utantur ; cœterum hæc  
obligatio est pro foro dumtaxat externo , ne , videlicet , la-  
cerentur , nedum non admittantur , in Dataria litteræ testi-  
moniales eorum Episcoporum , qui eam Intitulationem non  
præferunt .

Controversia esse potest Utrum Episcopi Cardinales ,  
ac præsertim Suburbicarii hac qualicumque obligatione  
adhibendi eam Intitulationem teneantur ? In quo commu-  
nis responsio apud citatum Petram , est = *Non teneri* = Ra-  
tio fortasse ea est , quia cum Cardinales sint Pars potissima  
Sedis Apostolicæ , & Pars Corporis ipsius Papæ , non est opus  
ut per ejusmodi intitulationem , suam à Sede Apostolica ,  
& à Pontifice dependentiam testificantur . Accedit Praxis ,  
quæ ut optima legum Interpres ostendit Cardinales Epi-  
scopos ad id non obligari . Non ausim tamen improbare ,  
si quis ex Card. Episcopis ea intitulatione uti voluerit .

C A P U T      V.

*De Praeminentia talium Episcoporum.*

**E**piscopi Cardinales Suburbicarii ea excellunt amplitu-  
dine , ut post Romanum Pontificem cœteris omnibus  
tum Cardinalibus , tum Archiepiscopis , tum Episcopis præ-  
mineant , nec receas ea res est , sed ortum habuit jam in-  
de ab anno Domini 1112. , quando in Romano Concilio  
sub Paschali II. Episcopi Cardinales subscripsere ante omnes

Ar-

Archiepiscopos, & Episcopos, cœteri verò Cardinales Presbyteri, ac Diaconi post omnes Episcopos. Hinc B. Petrus Damiani, qui floruit circa annum 1060. multa præclarè scripsit de Cætu Episcoporum Cardinalium, qui tanti semper est habitus, ut teste Thomasino p. 1. l. 2. cap. 114. Rex Siciliæ Carolus cum Perusiam venisset una cum Carolo Martello Filio Rege Hungariæ, ipse inter Episcopos Cardinales federit, Rex autem Hungariæ ejus Filius inter Cardinales Diaconos. Propterea.

Quæres 1. An hæc tanta Episcoporum Cardinalium Præminentia redundet etiam aliquatenus in ipsorum Ministros?

R<sup>s</sup>. Cum Cohelio cap. 5. affirmativè, nam ipsorum Vicarii, inquit citatus Auctor, vocantur *Vicedomini*, idest, *Œconomi rerum Episcopalium*, atque ita speciali hac appellatione specialem quamdam præ cœteris exigunt existimationem.

Quæres 2. An Episcopi Cardinales postulandi sint, vel potius eligendi ad dignitatem Inferiorem?

R<sup>s</sup>. Cum eodem Cohelio esse *postulandos*, ad differentiam Cardinalium Presbyterorum, qui etiam ad Inferiorem Dignitatem, puta, ad Episcopatum eligi possunt; quamvis etiam Cardinales Presbyteri vel Diaconi, cum ex officio suo assentiæ Pontificiæ obligati sint, postulandi videantur, non tamen *Solemniter*, sed *simplici Postulatione*, ut docent Abbas in Cap. Ecclesia 57. n. 15. de Elect<sup>o</sup> contra Hostien., & Sylvest. apud Pirbing. de Postulat. §. 2. q. 3., quem vide si lubet.

Quæres 3. An Episcopi Cardinales principaliorem partem habeant, seu speciale jus obtineant circa Electionem Rom. Pontificis?

R<sup>s</sup>. Olim principaliores illis partes fuerunt attributæ,

ut constat ex distinct. 23. Can. in Nomine Domini &c.; ibi enim sic decernitur = In primis Cardinales Episcopi diligenter simul de Electione tractantes, mox Christi Clericos Cardinales adhibent: siveque reliquus Clerus, & Populus ad consensum novae electionis accedit. Nimirum præcaventes, ne venalitatis morbus aliqua occasione subrepat. Et ideo religiosissimi Viri ( idest Episcopi Cardinales, uti interpretatur Glossa ) Præduces sint in promovenda Pontificis electione, reliqui autem sequaces = & infra = Cardinales Episcopi procul dubio Metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum Episcopum ad Apostolici culminis apicem provehant = Nunc verò standum est novissimis Apostolicis Constitutionibus quoad Pontificis electionem, juxta quas pares videntur Cardinalium omniam partes in tali electione, quamvis consilio & auctoritate, utpote Seniores, Episcopi Cardinales non raro ad eam plurimum conferant.

Quæres 4. An Episcopi Cardinales coeteris Cardinalibus præemineant in Munere assistendi Summo Pontifici?

R<sup>s</sup>. Plura sunt, in quibus Episcopi Cardinales in hoc munere aliis Cardinalibus præminent; nam ipsi primi in sacro Consistorio sententiam dicunt, primi Pontificiis, & Conciliaribus sancti onibus subscribunt, primi in Conclavi electum Pontificem recognoscunt, & adorant, primi demum ii sunt ad quos spectet Romanum Pontificem in tanto tamque laborioso opere adjuvare, & sublevare: Ex his fortasse Præminentibus factum est, ut Scriptores nonnulli eos Archiepiscopos vocant, sic enim eos nuncupat in quadam sua Epistola. S. Ludgerus primus Episcopus Monasterien. saeculo nono ineunte, ubi cum ipse enarret acta in Germania à S. Leone hæc habet = Facta hæc sunt pridie nonas Septembbris præsentibus ibidem victoriosissimo Carolo semper Augusto Rom. Imperatore, & Francorum Rege, venerabi-

*prælibusque Patribus Cardinalibus Archiepiscopis Bernardo Ostiensi, Fortunato Trevirorum, Theodoro Sabinensem &c. =*

Quæres 5. An ad ejusmodi Episcopos pertineat privativè Pontificem Romanum consecrare?

R<sup>e</sup>. Episcopus Ostiensis ab antiquissimis Ecclesiæ temporibus id habet, teste ipso S. Augustino in Brevic. collat. diei 3. cap. 16., ut Romanum Pontificem in Episcopum consecret, & Anacletus Pontifex cum decreverit s<sup>c</sup>. 11: Consecrationem Episcopi à tribus Episcopis peragendam, crediderim ex Anastasio Bibliothecario Assistentes huic Consecratori Episcopos, de jure esse debere Cardinales Episcopos Suburbicarios, ipse enim de S. Leone II. hæc refert = *Sanctissimus Vir ordinatus est à tribus Episcopis, idest, Andrea Ostiensi, Joanne Portuensi, & Placentino Veliternensi, pro eo quod Albanensis Ecclesia Episcopum minime habuit.* Enimvero Ostiens. consecranti Clem. VIII. astiter Tusculan. & Sabinen. Episcopi : idem factum est in aliis Pontificum consecrationibus; ubi advertas Consecratoris Pontificis Munus ad Ostiensem spectare specificative ut tales Episcopum, non autem ut Sacri Collegii Decanum: nam de facto Pontifex Sixtus IV. de anno 1471. consecratus fuit ab Episcopo Ostiensi, qui non erat Sacri Collegii Decanus, teste Illusterrimo Archiep. Borgia lib. 4. Hist. Velitern.

Quæres 6. An specialibus Vestium Insignibus decorentur Cardinales Episcopi Suburbicarii?

R<sup>e</sup>. Insignia Cardinalitia & Episcopalia illis competere; unde incedentes per vias vecti curru, aut publicè quoquo modo se se videntes præbentes utuntur vestibus Cardinalitiis more aliorum Cardinalium; interesientes vero sacris functionibus sive in Sacello Pontificio, sive in publicis Supplicationibus, quando alii Cardinales induunt vel Casulam,

vel Dalmaticam respectively, ipsi induunt Pluviale cum cœteris Episcopalibus ornamentis. Insuper Ostiensis utitur Palio ad normam Sacrorum Canonum ex concessione S. Marci Papæ, qui Christi vices anno salutis 336. geslit.

Quæres 7. An Decanatus Sacri Collegii spelet privativè ad Cætum Episcoporum Cardinalium Suburbicariorum?

R. Decanatum Sacri Collegii Dignitatem esse à Romano Pontificatu in Ecclesia Dei Primam; nam Decanus est Caput illius Collegii, quod *Gremium Romanæ Ecclesiæ* appellatur Cap. In Nomine Domini &c. dist. 23. *Summum & excelsum* à Rom. Conc. 448. num. 11. , & *Membrum honorabilius* quod habet *Ecclesia Dei* à Card. Tusco Litt. C. conclus. 100. n. 1.

Hæc porrò Dignitas semper se continuit, & hæc tenus se continet intra limites Eminentissimi Cætus Episcoporum Cardinalium; nam olim qui coeteris Episcopis Cardinalibus ratione suæ ordinationis antiquior erat, is Prior, & deinde Decanus Collegii Cardinalium dicebatur, teste Azorius t. 2. l. 4. cap. 1. q. 6. Nunc per Pauli IV. Const. quintam, quam confirmarunt Bened. XIII. & Clemens XII. Decanatus Sacri Collegii ad Episcopum Card. antiquorem, in Curia tempore Vacationis præsentem, aut ex causa publica absentem pertinet, ita ut antiquissimus sive ætate, siue Promotione ad Cardinalatum, nullum ad talē Dignitatem, si non fuerit Episcopus Suburbicarius, proximum jus habeat. Decet quippe amplissinam Dignitatem ex amplissimo ordine desumi, in eodemque amplissimo Ordine collocari.

Supereft jam ut brevem quamdam earum Diæcesum notitiam exhibeam quibus Episcopi Cardinales Suburbicarii præsunt, ne Lector aliunde eam sibi querere opus habeat, si forte talis cognitionis illum cupidio incelerit.

DIO.

## DIŒCESIS OSTIENSIS ET VELITERNA

*Ex Additionibus Ughellii.*

**V**Elternensis, Ostiensisque Diœcesis colles habet, & extentam Planitiem, hanc gravitas Cœli desertam facit, segetum uberem tamen. Ex multis Oppidis coalescit, suntque = *Castello Romano, Decimo, Portigliano, Casale, Sacchetti, Cori, Cisterna, Norma, Giuliano, Rocca de Massimi, e Ginetti* = quæ decem millia fere mortalium capita enumerant. Reditus coeteris Coepiscopis suis pinguiores habet Ostiensis cœterorum Princeps, computanturque modo quinque, modo sex mille scuta Romanæ monetæ, nec taxantur in libris Apostolici Fisci. Civitas Ostiensis olim ampla & frequentissima poenè deleta est, ignobilidum taxat Vico superstite, at Civitas Veliterna adhuc in primis nobilis perseverat, in eaque Animæ circiter octo mille computantur *Lucent.*

## DIŒCESIS PORTUENSIS.

**D**iœcesis hæc est in amœna, insalubris aeris, segetum ferax, & Pauperes suæ fermè Indigenæ, ac rei frumentariæ intenti. Nonnulla inibi sunt, sed tenuia Regularium Cœnobia. In Oppido Castronovo habetur Ecclesia Collegiata, Oppida vero octo enumerat, scilicet, = *Castel nuovo, Riano, Isola, Cesano, Galeria, Ceri, Cerveteri, Sasso* = His additæ duas Turres ad oræ maritimæ custodiam, videlicet, Turrim S. Marinellæ, Turrim S. Severæ, & celebrem Arcem Pali olim Ursinæ Gentis: suntque duo Casalia Paldi dori, & Maccaresii rei pecuariæ attributa. Reditus Ecclesiæ nunc enumerantur scuta Romana circiter 3500. *Lucent:* Portuensis Civitas temporis injuria exesa, atque attrita.

trita ita est, ut præter Episcopale Palatum, & parvam Pa-  
rochialem Ecclesiam sub invocatione S. Luciæ, nihil fer-  
mè residui, plura inter rudera conspicias.

### DIOCESES SABINENSIS.

**S**Abina Dioecesis aliarum omnium è sex Episcopatibus amplissima est; siquidem in longum porrecta plura Oppida, seu Pagos complectitur, in iisque tringinta millia circiter mortalium capita recensentur. Oppida autem hæc sunt = *Manliano*, *Monte bono*, *Poggio Naivo*, *Monic*, *Rotondo*, *Roccantica*. *Catino*. *Poggio Catino*. *Apra*. *Le Rocchette*. *Vaccone*. *Cantalupo*. *Pozzaglia*. *Moricone*. *Montorio Romano*, *Nerula*, *Coile Vecchio*, *Cane morto*. *Monte Asole*. *Lamentana*. *Poggio mezzavilla*. *Fianello*. *Montenero*. *Montorio della Valle*. *Petescie*. *Palombara*. *Stazzano*. *Ginestra*. *Castiglione*. *Poggio Mojano*. *Frasso*. *Coile longo*. *Scandriglia*. *Monte Libretto*. *Mompes*. *Cortanello*. *Stimigliano*. *Gavigliano*. *Casa prota*. *Ponticelli*. *Correse*. *Cifignano*. *Castel S. Piero*. *Santo Polo*. *Monte Flavio*. *Crezone*. *Selci*. *Torri*. *Furano*. = Olim pingues erant hujus Episcopatus annui Reditus, nam sex millia scutorum Romanæ monetæ excedebant, verùm in præsenti rerum statu adeo tenues sunt, ut vix trecentos aureos impleant. *Lucent*.

### PRÆNESTINA DIOCESES.

**P**Ræter Prænestinam Civitatem, ubi quatuor ferme sunt incolarum millia; Dioecesis ex tredecim Oppidis coalescit, eaque sunt = *Castel S. Pietro*. *Capranica*. *Genazzano*. *Cave*. *Rocca di Cave*, *Palliano*, *Serrone*. *Olevano*. *S. Vito*. *Pisciano*. *Zagarolo*. *Gallicano*. *Lugnano*, in quibus

qua-

quatuordecim ferme hominum millia numerantur. Episcopales redditus sunt Scuta Romana 450. *Lucent.*

ALBANEN. DIŒCESIS.

**C**ivitas Albanens. olim utilis Dominii erat Sabellæ Gentis, nunc Cameræ Apostolicæ ab Innoc. XII. anno 1697. plenissimè applicata est, civesque circiter bis mille enumerat. Universa Dioecesis ferme octo millia incolarum habet, Oppida ejus sunt = *Sabello, Riccia, Genzano, Civita Lavinia, Nemi, Marino, Castel Gandolfo, Pratica, Andria, Nettuno, Capo d' Antio.* = Fructus hujus Ecclesiæ Summam Scutorum Romanæ monetæ 150. non excedit. *Lucent.*

TUSCULANA DIŒCESIS.

**C**ivitas hodie ob ruinas antiqui Tusculi, est recens erecta, quæ vulgo dicitur *Frascati*. Animæ omnes in Civitate, & Villis enumerantur circiter quinque millia, totidem fere suppeditat universa Dioecesis his distincta Castellis = *Rocca Priora, Rocca di Papa, Monte di Compatri, Colonna, Monte Portio.* = Census Episcopalis annuatim suppeditatur Romanæ Monetæ, Scutorum summa 600. circiter.

*Ex his Episcopatibus plures variis temporibus floruerunt  
Episcopi Vitæ Sanctitatem illustres, ac præscriptum.*

**E**X Ostiens. B. Petrus Damiani Episcopus Cardinalis Ostiensis à Stephano IX. hac dignitate insignitus anno Domini 1058. De eo Historia Ecclesiastica preclarè meminit,

96 *De Episcop. Card. Suburb. Quæst. Selectæ.*

nit, & Surius 22. Februarii. Item B. Gregorius Episcopus Cardinalis Ostiensis, & Bibliothecarius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ circa annum 1034. De eo plura habet Baronius, Ughellius, aliique cum Hispano Martyrologio, & Bollandianis die 9. Maii. *Ex Portuensi.* Sanctus Hyppolitus Episcopus Portuensis, & Martyr, qui ex Martyrolog. Romano sub Alexandro Imperatore ob præclaram fidei Confessionem Martyrii palmam accepit. *Ex Sabinensi.* Sanctus Laurentius Syrus Farfensis Monasterii Fundator, qui de anno 550. Spoletanum, & Sabinensem Episcopatum gessit, prout ex B. Petri Damiani epistolis, & Joannis Papæ VI. diplomate fusè probat Lucentius. Is, eodem Teste apud Ughellium, Illuminatoris cognomentum fortitus est, quod illuminandis Cæcis mira gratia polleret. *Ex Prænestino.* S. Guarinus Episcopus Cardinalis Prænestinus Bononiensis, de quo meminit Romanum Martyrologium die 6. Februarii, floruitque anno Domini 1144. *Ex Albanensi.* S. Bonaventura Episcopus Cardinalis Albenen., Confessor & Ecclesiæ Doctor: meminit illius Martyrologium Romanum die 14. Julii, qui a Sixto IV. Sanctorum Canoni adnumeratus est. Præterea *ex eodem Episcopatu* de anno 1074. Sanctitate conspicuus enituit B. Petrus Igneus Vallumbrosanus a Gregorio VII. Episcopus Cardinalis Albanensis creatus. *Ex Tusculano* floruit de anno 1228. præclara vitæ sanctimonia illustris Ven. Dei Servus Jacobus de Vitriaco, à Gregorio IX. ad Episcopatum Tusculanum evectus. Plura de eo conscripsit Thomas Cantipratensis, qui de ejusdem vitæ Sanctitate ac miraculis in Libro Apum non levia commemorat.

F I N I S.



*Scapha Regis*

*Scapha Regis*